



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN


## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vita Eximii Dei Servi Alberti De Altissimis, Canonici Regularis Congregationis Lateranensis**

**Saracini, Paolo Emilio**

**Augustæ Vindellicorum**


**urn:nbn:de:hbz:466:1-37282**



π. 2479

K  
11  
40

















VITA  
EXIMII DEI SERVI  
ALBERTI

DE  
ALTISSIMIS,  
CANONICI REGULARIS  
Congregationis Lateranensis.

*Primum Italico Idiomate*

R. P. D. PAULO EMILIO

SARAGENO,

Ejusdem Congregationis Canonico,

& S. Victoris Bononiæ Priore conscripta;

*Nunc verò latine reddita*

INTERPRETE

R. P.

DOMINICO BISSELIO,

ad S. Crucem Augustæ Vindel. eundem

Ordinem Professo, & Decano.

PERMISSU SUPERIORUM.



AUGUSTÆ VINDELICORUM.

Typis Simonis Utzschneideri,

Reverendissimi ac Celsissimi Principis & Episcopi

Augustani Typographi.


*Anno M. DC. LXXXVII.*

*Collegii Societatis Jesu Paderbornae  
dono p. Kloppenburg 21. 1697.*

ALMA MATER

UNIVERSITY OF  
PADERBORN

2002 2001



REVERENDISSIMO,  
PRÆNOBILI, AC AMPLISSIMO  
DOMINO, DOMINO

**JOANNI  
ALBERTO,**

D. G. COLLEGIATÆ ECCLESIAE  
Canonorum Regul: Ord: S. Augustini  
in Rottenmann

**PRÆPOSITO**  
VIGILANTISSIMO,

SAC. CÆS. MAIEST.

AC

CELSISSIMI & REVERENDISSIMI  
PRINCIPIS, EPISCOPI  
BAMBERGENSIS

CONSILIARIO, &c. &c.

DOMINO, AC PATRONO MEO  
GRATIOSO.

\* 2

Re-

EPISTOLA

*Reverendissime Domine.*



Um jam antiquissima, & ipsi penè scribendorum librorum initio coæva, nullique non probata invaluerit consuetudo, Res Mortalium præclare gestas, aliæque insignium ingeniorum monumenta publicæ luci consignata certis dedicandi Patronis, minimè ab hac sapientissimorum Virorum non tam ampliùs consuetudine, quàm introducta jam lege mihi recedendum esse existimavi: eaque propter cùm plures Patroni, quibus præsens Opusculum inscribendum esset, occurrerent, atque idcirco ipse eorundem selectus à me instituendus admodùm videretur difficilis, Reverendissima nihilominus Dominatio Vestra primas  
aliis

DEDICATORIA.

aliis præripuit, cujus Amplissimo  
illud Nomini nuncuparem, neque  
id immeritò, ut enim silentio præ-  
teream, quòd Reverendissima Do-  
minatio Vestra identidem familiari  
admodùm per suas epistolas allo-  
quio aliquot jam annis me perquam  
gratiosè honorare dignata, meaque  
minima obsequia Præsule tam Exi-  
mio minimè, ut ingenuè fatear, di-  
gna, non sit aspernata: illud cum-  
primis me stimulavit, ad hoc quid-  
quid est, vel honoris, vel potiùs ob-  
ligationis *Vestigal* Amplissimæ Do-  
nationi Suxæ exolvendum, quòd ip-  
sum perquam illustre ALBERTI  
nomen utrique *Alberto de Altissimis*  
*primario* præsentis Opusculi Scopo,  
& *Alberto Rottenmannensium* meriti-  
*simo Præsuli* sit commune, & ambo-

EPISTOLA

bus indubiè inditum ob memoriam  
 & honorem B. ALBERTI nostri  
 è Canonico Regulari Mortariensi  
 teste R. P. Daniele Papeprochio S. J.  
 in Actis Sanctorum Mens. April.  
 Tom. I. die 8. à pag. 769. primùm  
 Bobiensis, tum Vercellensis Episco-  
 pi, ac tandem postulantibus Eccle-  
 siæ *Sepulchri Dominici* Canonicis  
 Regularibus ab Innocentio III.  
 ad Hierosolymitani Patriarchatûs  
 summum evecti fastigium. Et quo-  
 niam hujus Sancti festiva dies, Re-  
 verendissimæ Dominationi Vestræ  
*Natalitia* brevì recurret, istam *Al-  
 berti de Altissimis Vitam* antehac Ita-  
 lico Idiomate editam, nunc verò, ut  
 pluribus eius lectio foret communis,  
 in latinum à me transpositam *Serti*  
 locò *Natalitii* offerre volui, certa  
 spe


DEDICATORIA.

spe fretus, Reverendissimam Suam  
Dominationem aliàs ad omnem hu-  
manitatem admodùm pronam, hoc  
etsi leve, grato tamen ab animo pro-  
fectum munusculum majore huma-  
nitate acceptaturam, & contra quos-  
vis adversantium Criticorum cona-  
tus suò tuituram patrociniò: quod  
uti futurum spero, ita perennibus  
votis, longum, faustissimùmque In-  
signis Collegiatæ Rottenmannensis  
Regimen à DEO Ter Opt. Max.  
exorare Reverendissimo Patrono  
meo conabor. A.D.M.DC.LXXXVII.

Rev.<sup>mæ</sup> Prænobilis,  
& Ampliff. Dominationis  
Vestrae

*Cliens aeternùm devotus*

D. B.



## Benevolo Lectori.

**Q**uatuor lustra, & aliquot anni, qui  
superant, jam fluxere, quando Vitam  
utramque Petri Forerii in Idea Boni Pato-  
chi, & Alani de Solminihac in Idea Boni  
Praelati, Viri utriusque sanctimoniâ hoc sa-  
culo maxime conspicui, Canonorum Regu-  
larium Ordinis S. Augustini Alumni, ejus-  
demque Religionis in Gallia ac Lotharingia  
Reformatoris è gallico Idiomate juris latini  
factam Orbi palam exhibui. Aliquot post  
annis ope Reverendissimi P. D. Camilli Tac-  
chetti Abbatis Monasterii S. Leonardi Cano-  
nicorum Regularium Congreg. Lateranensis  
prope Veronam Vitam Alberti de Altissimis  
lingua Italica descriptam ac Vicentia Anno  
1621. publicatam accepi: hanc ubi perlu-  
stravi, exemplorum præclarissimarum vir-  
tutum admodum feracem deprehendi, mox-  
que mecum ipse decrevi, & hanc Con-Cano-  
nicorum ac Confratrum meorum emolumen-  
tò latinitate donatam typis subiicere, in-  
de

AD LECTOREM.

de vel maximè ad hunc laborem in me suscipiendum extimulatus, quod existimaverim, non minùs eandem gratam Lectori futuram, quàm illæ Petri Forerii, & Alani Solminiacensis fuerint; præsertim etiam, quod sicuti istorum, ita & Alberti exempla sint quoque recentia, recentia verò magis, ac antiqua legentibus uti placere, sic & animos eorundem movere soleant.

Accedit, quod tanto libentius ad hunc laborem me accinxerim, quod Italicum hujus Vitæ exemplum, sic attestante eius Authore in suo ad Lectorem Proloquio, Supremam Romanam Censuram ad revisionem Librorum typis evulgandorum ordinatam, antequam imprimeretur, subiverit, ut adeo tantâ Romana Censura fulta authoritate securè in apricum hæc Vita latina prodire queat.

Itaque Amice Lector, & tertiam hanc Vitam tibi represento. Tu fac sis, ut inoffenso eam pede, deque Historiæ veritate omninò certus tuò commodò percurras, DEUM Optimum Maximum, omnis Bo-


AD LECTOREM.

*ni Largitorem suis in Servis depradices,  
hunc verò laborem meum equi bonique  
consulas. Vale, & sanctam Alberti no-  
stri simplicitatem, aliásque Religiosas ipsius  
virtutes, uti fors miraberis, ita, quo-  
que sedulo imitari studeas.*

\* \* \*



D. SE-



D. SERAPHINUS  
CREMENSIS ABBAS  
GENERALIS CONGREGATIONIS  
Canonicorum Regularium Salvatoris  
Lateranensis,

*Venerabili, ac Dilecto in Christo Patri D. Paulo Emilio Saraceno, Vicentino Canonico, nostro, & Priori S. Victoris extra Bononiam.*


Cum Nobis opus, quod vulgo inscribitur *Vita P. D. Alberti de Altissimis Vicentini, &c.* à te descriptum, oblatum fuerit, Nosque illud M. R. P. D. Constantino Laudensi, Canonico nostro, & Visitatori discutiendum tradiderimus, & eodem referente acceperimus, nihil in eo orthodoxæ Fidei dissonum, nilve bonis moribus incongruum reperiri, imò Christianis, & piis Documentis esse ornatum: propterea Nos pro eo, quo fungimur, officio, liberam tibi facultatem illud imprimendi, setvatis tamen de jure servandis,

dis,

dis, tenore præsentium concedimus. In  
quor. Dat. Venetiis in Canonica nostra  
S.M. Charitatis, die 26. Januarii 1621.

D. Seraphinus A.G.

D. PETRUS OPITERGINUS,  
Prior, & Secr. de mand.



## CENSURA INQUISITORIS.

**E**go Fr. Camillus de S. Angelis à Co-  
lurno, Ordinis Præd. S. P. Domi-  
nici Sacræ Theologiæ Magister, & ab  
Apost. Sede Generalis Inquis. in Eccle-  
sia Vicentina specialiter delegatus: visa  
attestatione R. P. Fr. Spiriti de Mantua  
Ord. ejusdem, & etiam S. T. Magist.  
Præsens Opus editum per Adm. Reve-  
rend. P.D. Paulum Emiliū Saracenum,  
Nobilem Vicentinum, Priorem S. Vi-  
ctoris extra Bononiam, concedo impri-  
mendum, in qua Vita, mores, & Acta  
continentur Celeberrimi Viri D Alber-

ti

ū de Altissimis Civis Vicentini, almi  
 Ord. Canonicoꝝ Lateran. Regul., cu-  
 jus vitæ sanctimoniam, simplicitatem,  
 rectitudinem, continentiam, mundi, &  
 vanitatum eius contemptum, propriae  
 carnis neglectum, & totalem abdicatio-  
 nem ab omni sæculi non tantum voluptate,  
 sed etiam solatio, summa cum animi  
 mei admiratione conspexeram, dum, tan-  
 ti Viri, cæterorumque Venerabilium  
 Canonicoꝝ, & Con-Sacerdotum eius,  
 amabili consuetudine donatus, aspectu  
 eius pariter & affatu singulariter oblecta-  
 rer. Cæcus quidem mihi videbatur Chri-  
 sti Servus iste, & surdus, & mutus in  
 omnibus, & ad omnia præterquam in  
 obsequium Creatoris sui, sine amore,  
 sine desiderio, sine timore, sine gaudio,  
 sine ira nisi in ordine ad summum bo-  
 num. Nulla ei unquam videbatur in-  
 esse turbatio mentis, nullus mœror, af-  
 flictio nulla, tranquillitas insignis, exi-  
 mia quies, placida semper facies eius,  
 jucundus aspectus: sermo compositus,  
 bre-

brevis loquutio, modica verba, sed omni pietate referta. Funeri eius cum assisterem, vidi totius Vicentini populi fidelis & pii copiam ingentem tam nobilium, quam popularium personarum: virorum pariter, & feminarum per integrum tri-duum concurrentium ad exanime corpus videndum, & amplectendum in loco jacens: cui viventi locus non fuerat extra Monasterium, & qui sæculi semper consortium declinaverat in vita, à toto sæculo quærebat in morte. In quorum fidem, &c.

Dat. Vicentiæ in ædibus S. Officii die 9. Novembris 1620.

FR. CAMILLUS DE SS. ANGELIS,  
Inquis. anted.

†

1620. 19. Novembris.

Cum ego Augustinus Dulcis Secretarius jam viderim supradictum librum, nec in eo quidquam contrarium sanctæ Fidei Catholicæ, Principibus, &  
bo=

bonis moribus repererim, dignum typis  
judico.

AUGUSTINUS DULCIS,  
Secretarius.

FACULTAS.

**U**T præsens Vita Alberti Cano-  
nici Regularis Congregatio-  
nis Lateranensis antehac Italico  
Idiomate edita, &, quòd nec fidei  
nec bonis moribus adversetur, sed  
multa, quæ alios quoque Religio-  
sos ad sectandam pietatem efficaci-  
ter movere valeant, contineat, cen-  
sa, prælo demandetur, harum per-  
tenorem conceditur.

*Ex Officio Vicariatus Augusta die 26.  
Novembris An. 1686.*

FRANCISCUS ZIEGLER,  
SS.Theol.Lic.Vicarius Generalis.

PRO-



## PROTESTATIO.

**Q**Uæ in hac Vita referuntur, ut Decretis Urbani Papæ VIII. nec non eorundem Declarationi satisfiat, non aliter accipi, vel alio sensu intelligi volo, quàm qui humana duntaxat fides, testimoniòque, nullo verò modo Authoritati Catholicae Ecclesie Romanae innitur. Atque adeò protestor, me isthac mea Lucubratione nolle quidquam venerationis aut cultus, vel famam, aut opinionem Sanctitatis ALBERTI augere, aut ulterius aliquid illius existimationi adungere. Atque hoc tam sanctè profiteor, quàm eum decet, qui S. Sedis Apostolicæ Filius obsequentissimus haberi, & ab illa in omni sua actioni dirigi cupit.

\* \* \*



✠

---

VITÆ

EXIMII DEI SERVI

ALBERTI

DE

ALTISSIMIS,

In Canonica S. BARTHOLOMÆI

Vicentiæ Canonici Regularis Congr:

Lateranensis,

LIBER I.

---

CAPUT I.

*Alberti Natales, & Infantia.*

**P**Ulchrioribus Italiæ Provinciis  
illa non immeritò annume-  
randa est, quam olim ab Eu-  
ganeis inhabitatam, deinceps  
Veneti, qui è Trojano supererant exci-  
dio, pluribus non ultimi nominis urbibus,  
ac oppidis illustrârunt, & amplificârunt,  
quorum postmodùm sortita nomen Ve-  
netia dicta fuit, illudque licèt Romano-

A

rum

rum subdita jugo retinuit, quousque Longobardi Marcam Tarvisinam nuncuparunt: quæ tandem post multiplices rerum vicissitudines Serenissimæ Venetorum Reip. imperio subjuncta etiamnum eidem paret.

In hac fortunata Provincia nullo non tempore clarissimum Urbis Vicentinæ nomen extitit, quippe cujus dotes, naturæ videlicet dona, cujus encomia manuum proprietarum, immò Divinæ Gratia opera meridiano Sole longè clariora ab antiquis æque, ac modernis Scriptoribus celebrata fuere. Hæc, uti & aliæ pleræque Civitates Italiae, fortunæ ludentis aleam identidem subiens sæpius occasionem naçta fuit suis è cineribus Phœnicis instar pulchrior, vegetiôrque resurgendi.

At hodie fœcunda Sectatorum Christi Parens, novo se partu magnum mundo DEI Servum, qui sit Claustrorum *Honor*, Disciplinæ Regularis *Norma*, Patientiæ *Exemplum*, & Pietatis verè Christianæ *Speculum*, dedisse gloriatur. Hujus ad vitam, mores, ac gesta, quantum meam ad

no.

notitiam pervenit, è tenebris publicam in lucem, ne eorundem memoria temporis invidiâ pereat, ad majorem DEI gloriam protrahenda me nunc accingo.

Albertus itaque noster Anno Salutis M. D. XLVII. Vicentiæ natus est è Familia *de Altissimis* nuncupata, si propter nobilitatem non adeò illustri, certè ob pietatem minimè obscurâ: si fortunæ bonis non admodùm copiosâ, à paupertate tamen non sordidè depresso: si mundi favorum experte, at à cœlo non destituta; si denique non famosis Majorum inclytâceris, alteri certè nulli ob Albertum DEI destinatum servitio postponendâ.

Patrem habuit Baptistam, qui è sua conjuge Maria de Familia *Padovani* tres suscepit liberos, quorum natu minimus Albertus erat; Hic à parentibus juxta statûs eorundem conditionem perquam honestè educatus fuit, & institutus; cum primis verò cum lacte materno Christianam pietatem DEIque timorem eidem instillârunt, & quidem ea cum accuratone, qualem temporum illorum difficultas

exigebat, quibus de corruptis Christianorum moribus ad formam sanctiorem per Concilium Generale revocandis agebatur.

Verum DEUS, qui suorum Servorum quempiam orbi daturus Sapientiæ suæ immensitate ita nonnunquam cœlesti sua gratia eundem prævenit, ut in ipso statim illius in vitam ingressu, progressu, & egressu nullo negotio cognosci queat, quî sit eandem auspicaturus, quomodo suam in ea personam deinceps acturus, & quonam tandem exitu sit illam terminaturus, brevî quoq; palàm fecit, Albertum nostrum illorum etiam accensendum esse numero, quos copiosè suâ gratia cumulavit. Siquidem primis illis annis contemnens vivendi modum, quo pueri suorum sensuum illecebris velificantes oblectari solent, similiores quoad hoc brutis animalibus, quàm creaturis ratione præditis, atque ad cœli gaudia olim capeffenda destinatis, parentum suorum voluntatem pro lege habuit ab se nunquam violanda, ut adeò non aliud animo volveret, quàm  
quo

quo pacto illorum mandata sine contradictione exequeretur: suam præterea vitam sapiens puerulus Divinæ collustratus gratiæ lumine, suas infantiâ nequicquam offundente tenebras sic ordinavit, ut non solum admirantibus coætaneis, qui ultra id, quod oculis cernebant corporeis, non penetrabant, verum etiam stupentibus ætate atque sapientiâ provectoribus, oculo prudentiæ subsecutorum è principio finem inferentibus, clarè demonstraverit, se per viam innocentiam laboriosam Christi Domini Servatoris ac Magistri sui vitam signatam ad perfectionem contendere velle.

Ut autem facilius istud assequeretur, nec non securius longum hoc suæ peregrinationis iter haud paucis obnoxium periculis perficeret, geminam ipse sibi legem tunc statuit, quarum altera DEUM, naturam altera respiciebat, quæ tamen ambæ Charitatem erga DEUM, & proximum foverent: ubi flammis illis, quæ interius in ipso cœlestem amoris ignem succendebant, per oculos, per & linguam

emicantibus, illi gratius objectum non repræsentabatur, quàm erant imagines illæ, vel illa dicta, in quibus aliquod mysterium Divinæ charitatis erga genus humanum ipsi contueri licebat: & his quidem puerili quâdam aviditate domi suæ ad parietes appendendis fatiari non poterat. Ad hæc quasi vim adhibens cursui ætatis suæ per seipsam primis his annis inquietæ, in quibus tamen ratio paulatim elucescat, virtute tamen tanta non pollet, ut eandem sub jugum mittat, nunquam visus est, vel auditus suis manibus suave linguâ, ad damnum aliquod vel injuriam aliis puerulis inferendam uti, siquidem si inter eos pacem fovere nequiret, animo omni vacuo perturbatione ab iis recedebat, quasvis declinans occasiones, quæ tranquillitatem suam conturbare, & iræ vehementioris fomitem igni in puerorum pectoribus semper accenso subministrare possent. unde in quoddam templum, quod *Domus est orationis* sese abdens Divinorum Officiorum auditione mirabiliter afficiebatur, cùmque inde avelli non posset, per-

perſapè evenit, ut hora redeundi domum neglectâ pia eius mater non neminem amandare coacta fuerit, à quo domum reduceretur.

## CAPUT II.

### *Epilepsiâ corripitur.*

**A**lbertus puerulus cereum ad omnem probitatem nactus animum in dies in timore & amore DEI, ac proximi proficiebat: cum pietate quoque desiderium augebatur eas acquirendi virtutes, quibus à brutis homo secernitur, hinc animo, corporéque vegetus scholas ad humaniores litteras perdiscendas frequentare iubetur, & sanè summum in iis fecisset profectum, nisi ab ipsorum studiorum fervore, quo magnopere ad cursum conficiendum stimulabatur, fuisset retardatus, siquidem è nimia eorundem à puero necdum satis maturo inchoatorum contentione collecto, nurritóque malo exinde humore, forsan maternis è visceribus attracto in epilepticum morbum oppidò horribilem incidit, & sæpius uno die cadens

dens ad quævis mentis æquè ac corporis exercitia planè ineptus efficiebatur.

Isthoc repentino, nec non atroci malum nihil perterrefactus Albertus sed è cœli corroboratus viva fide, animoque liber Divini amoris igne succenso spei nihil amittebat, nec à consuetis devotionibus vel latum unguem recedebat, per omnium ad DEI nutum arbitriumque se se accommodans: displicebat quidem ipsi, quòd ob lapsus crebriores à ludo litterario ab eis se cogeretur, & nonnihil ab ea vivenda norma impediretur, in qua se in obsequio cultuque Divino exercitaret: ad hæc invicta cum patientia identidem imagine domi suæ appensas intuebatur, & in iis illam patientis nostri Servatoris, quem imitari velle jam pridem animo constitutum habebat, amoris magnitudinem admirabatur: ubi manus illius, ac pedes claverebratos, latus hastâ transfixum, caput spinâ perforatum, os felle ac myrrhâ perlatum, corpus flagris conscissum, ac proprio undique cruore respersum aspiciens in mentem revocabat, quantum is inju-

riarum ac tormentorum sui causâ per-  
pessus esset: cum his verò tormentis suam  
componens infirmitatem, eandem vix  
modicum quid esse censebat, quo vicem  
patientis Servatori rependeret: quapro-  
pter instabat precando, ut sibi dolores au-  
gerentur ad mensuram patientiæ sibi con-  
cedendæ, qua eosdem pro eius gloria per-  
ferre posset, ceu felix quoddam initium  
illius imitationis, in qua, quamdiu in hoc  
mortali corpore degeret, sibi perseveran-  
dum esset.

Ita mente comparatus *Altissimus* juve-  
nis tanto animi robore mali tolerabat  
acerbitatem, ut in vicem lamentorum,  
questuumve omni plenus solatio summas  
DEO grates haberet quasi unus illorum  
trium puerorum, qui in medio flamma-  
rum fornacis babilonicæ læti Divinas  
laudes decantabant, sic ipse nihil offen-  
sus, acerbissimis licet doloribus vexatus  
meras sentiret delicias. Ita dulce cum  
amaro commiscens, minùs se sua infirmi-  
tate molestum charis genitoribus redde-  
bat.

A s

Ve.

Verùm eventus illi, quibus tantopere nostri sensus affliguntur, non semper inter calamitates numerandi, nec illi casus inter angores, ac tolerantias referendi sunt, qui nos contra voluntatem nostram premere, & tam dirè torquere videntur, sive dein à naturali aliquo influxu, vel diabolicâ malitiâ, aut veriùs Numinis Providentiâ, errori haud obnoxîâ proveniant; nam si nostrâ culpâ nobis accidunt, cùm patienter à nobis perferuntur, non tantùm nulli involvunt damno, sed percrebrò nostram operantur salutem: necesse enim est, ut tentationibus ceu lydio lapide DEI probentur amici: Sic Jobus & Tobias probati fuêre, sic omnes aliæ Cælo receptæ mentes hoc experimento purissimum aurum evasêre. Econtra verò casus illi verè calamitatibus annumerari debent, qui suam à nostris peccatis, quæ DEI gratiâ nos privant, originem trahunt, à cujus infelicissima privatione, quidquid acerbi vita nostra fovet, & omnes nostræ inquietudines oriuntur, quæ instar aloës amarum reddunt lac bo-

no-



becillitatis animum non habuit, porro cum ipso aliter congregiendi, quàm adhibitis dolis, blanditiis, ac vanissimis ter-  
riculamentis.

Si hoc malo recens superveniente turbaretur Albertus, procul dubio homines mundani bonum malumve in vita præfenti occurrens suo, hoc est, humano iudicio metientes dicturi essent, ipsum affligi gravissimè, quippe quòd, si quis adolescentem vix dum in huius mundi limen ingressum gravissimis subiici calamitatibus, iisque à capite ad calcem usque cooperiri, torrenti miseriarum humanarum omnimodis immersum consideret, contrarium imaginari sibi, rationi naturali repugnare videatur. At verò quis DEUM suis in servis non mirabilem prædicet? Posteaquam Albertus se ad omnia prorsus ineptum vidit, tum crebros ob lapsus, tum ob damnum oculo receptum, nec tamen animo dejectus, nec turbatus fuit, sed fiducia plenus, vultu sereno, ac mente tranquillâ ad Crucifixum conversus, *Domine, aiebat, si tuus aliter esse nequeo, nisi*  
per

*per has afflictiones, & corporis molestias, en,*  
*ad omnem Divinae voluntatis tuae nutum*  
*me promptissimum habes; feriat me sancta*  
*manus tua, & ego tibi cor meum pando, per*  
*hanc, & non per aliam viam sequi te desi-*  
*dero: arripiam hanc crucem, & quocumque*  
*me perduxeris, te sequar, hac sorte omnino*  
*contentus, longèque felicissimus. Nec à ver-*  
*bis ablusère facta, siquidem istam crucem*  
*non solum patienter, sed & magna cum*  
*animi alacritate portans, in illius videba-*  
*tur imitatione jubilare, cuius amore hoc*  
*onus sibi leve erat, & omnis illa dolo-*  
*rum amarities in dulcedinem verteba-*  
*tur,*

Novus itaque hic Christi miles hanc  
crucem plenâ voluntatis resignatione  
amplexus, in virtutum Christianarum ac-  
quisitionem unicè incubuit, imprimis au-  
tem Humilitatem tam arcto sibi nexu ad-  
strinxit, ut in eius corde altissimas radices  
fixerit, nec non eidem ceu fundamento  
cæterarum virtutum omnium, quoddam  
quasi munimentum, quò se ab insidiis in-  
fernalibus tutò reciperet, & scalam, quâ  
cce-

cœlum conscenderet, imposuerit. Verum si subinde afflictus Juvenis tristitiam suam ob infirmitatem cogitationum procellis jactatus Eliæ sub junipero similis esse videretur, præ incœrore non aliud animæ suæ petenti, nisi ut moreretur, certius tunc asylum non occurrebat, quàm ut cruce apprehensa ad orationem confugeret, DEO, Beatissimæque Virgini non sine lacrymis atque suspiriis se se commendans.

Hoc itaque modo per ignem, & aquam angustiarum & afflictionum transiens Albertus ad eam pervenerat ætatem, quâ cœlesti pabulo animum reficere conceditur: ad hoc tanta spiritûs aviditate accersit, ut modo quodam mirabili corroboratus, incredibili frui tranquillitate cœperit, non aliter, quàm si ab suo corde, intrante Divina luce omnes afflictionum nebulæ, quibus hucusque tenebatur oppressum, propulsatæ fuissent: ubi hoc, aliisque pluribus beneficiis ob frequentem cœlestis hujus mannæ usum cumulatius spem concipiebat boni cujusdam, quod

quod ipsemet adhuc ignorabat. Ergo Albertus prostratus ab infirmitate, & Epuli Eucharistici virtute recreatus, affuefactus doloribus, & in oratione egregiè exercitatus spem inter ac metum medius gradiebatur. Hinc scopus dolorum, & exemplum evadens patientiæ, omnibus erat admirationi, variisque de se sermonibus ansam præbebat: siquidem si peracerbos, quos subibat, dolores attendisses, illius calamitate ad commiserationem adductus fuisses; si verò invictam patientiam considerâsses, quâ gravitatem illorum tolerabat (cùm tibi minimè persuadere potuisses, adolescentem animò nondum robustum, corpore imbecillum, in ætate non nisi sensuum blandimentis addicta, virtute duntaxat humana subnixum se se tam fortem exhibere posse) id potentiæ, humanâ, majori, nec non singulari DEI gratiæ adscripsisses.

\* \* \*



CA

## CAPUT III.

*Voto Religiosam amplectendi vitam  
se obstringit.*

**I**N hac dolorum corporalium, & consolationum spiritualium reciprocante varietate ad eam Albertus progressus ætatem, qua maturior esse ratio solet, secum ipse ratiocinari cœperat super statu, in quodum erat, & ingenitam animo propensionem DEO per mundi fugam serviendi sequens, de mediis cogitabat, quibus hunc finem consequi posset. Verum si comitialis horror morbi mentis obversaretur oculis, subito terrore percelleretur, eaque cogitatio ceu gladius quidam biceps, quo spes omnis illi truncabatur, cor ipsius intrabat prius, ac respirare tantum posset, quò suam repeteret ratiocinationem inveniendi media, quibus, quod animo intendebat, obtineret: subito namque representabatur ipsi difficultas illa planè insuperabilis comitialium lapsuum crebrius nec finè magno horrore iteratorum, qui se se ipsi hoc affectum malo ad obeunda  
fa-

facra ministeria reddunt inhabilem, nec non aditum in quamcunque Religionem perpetuo intercludunt. Hinc omni humano destitutus auxilio ad Divinum confugit: ad istud autem certius excipiendum assiduas manantibus ubertim lacrymis fundebat orationes, in ediam insuper, ac vigilias ad propitiandum Numen addebat, atque ad Divorum patrocinium recurrebat; unde aliquando sanctum Montem, quem incolæ Bericum indigitant, spe plenus conscendit: in hujus fastigio sacrum Cœli Reginae templum [ ceu Arx Urbi Vicentinae imminens ] visitur omnium veneratione celeberrimum, quod quidem tum beneficia ipsius interventu à DEO impetrata, tum etiam anathemata religiosa, magnique pretii in eodem appensa testificantur.

In hunc ergo locum ubi pervenit Albertus, expiatis prius pœnitentiæ Sacramento anterioris vitæ noxis, animaque, Angelicâ dape corroboratâ, coram prodigiosâ Immaculatæ DEI-Parentis Icone prostratus in genua, cor suum sincerâ fi-

B

de

de & fiduciâ nixus hac versùs eandem effudit oratione.

*Gloriosissima Angelorum in cælis jubilantium Regina, piissima mortalium in terris afflictorum consolatrix; si unquam oculos tuos, & promicantes ex istis gratiarum atque favorum radios in cor anxium, ac mærore tabescens convertisti, nunc eos, obsecro in hoc cor meum horrenda prostratum infirmitate converte: istam tametsi perlibenter patior, & ad omnes cruciatus quantumvis crudeles amore Filii tui unigeniti, Domini mei subeundos sum longè paratissimus, eam nihilominus cum graviore adhuc calamitate commutarem, dummodo non esset impedimento futura, eidem extra statum secularem in Religioso quoquam Ordine serviendi, Me quidem minimè latet, quòd meam Crucem à clementissimâ ipsius manu mihi impositam portans eum ubique sequi, illique servire possim. At verò si eandem in sæculo porto, ea quæ mihi suavis est, aliis vertetur in amaritudinem, quæve meam patienter tolerata salutem operaretur, aliis ob impatientiam, ad quam isto morbo omnibus odio-*

so

so ac gravi provocarentur, occasio damnationis esse posset. Quapropter benignissima Misericordiae Mater omni cum humilitate ac reverentia supplex tibi fio per illud ineffabile gaudium, quod post immanes cruciatus & acerbissimam Dilectissimi Filii tui passionem experta es, quando impassibilem mortis & inferni Triumphatorem in caelos ascendentem vidisti, ut ab immensa illius misericordia desideratam ab hoc malo liberationem mihi impetres, nec non mihi viam in aliquam intrandi Religionem, & in eadem toto vitae meae cursu Redemptori meo servienti complanes. Quod si huius gratiae compos factus fuero, voto me coram DEO, & coram Te Gloriosissima ejus Matre obstringo, illius Religionis habitum assumendi, in qua utriusque Majestati vestrae meum obsequium magè gratum erit: non in delitiis, & commoditatibus, quales non possum, siq̄, possem, expectare in mundo nollem, sed in paupertate spiritus, & carnis mortificatione, quae mihi ab ea Congregatione subministrabuntur, cuius in gremium receptus fuero, quâsque etiam auxiliantibus vobis ultrò queram, ut respon-

*deant, immò & superent presentium crucem  
dolorum meorum, neququam desiderans eos  
hoc pacto declinare, sed augeri magis ad imi-  
tationem cælestis Magistri mei, cujus amore  
hoc corpus perpetuæ virginitati, ac pauper-  
tati, cor istud, & istas manus obsequendi  
studio per omne illud tempus intra claustrum  
dicabo, quo in terra meum hoc servitium ipsi  
gratum erit futurum.*

Hanc Alberti orationem DEI Filio in  
Virginis sanctissimæ, Genitricis suæ gra-  
tiam, fuisse probatam, effectus inde sub-  
secutus ostendit, siquidem è terra, quam  
amaris humectârat lacrymis, surgens, ita  
se comperit alleviatum, ut animo, corpo-  
réque liber ad quidvis arduum aggre-  
diendum satis sibi videretur idoneus; ad  
hæc sancta quadam lætitia perfusus cor  
omnis mœroris ac doloris expers habebat  
unde denuò nixus in genua Clementissi-  
mo DEO, ejusque misericordissimæ  
Parenti gratias infinitas  
retulit.

CA.

## CAPUT IV.

*Ad Vitam Religiosam ineundam  
se comparat.*

**V**erbis exprimi non potest, quanta Alberti ob gratiam impetratam consolatio, & lætitiâ fuerit: interiùs & exteriùs exultabat, & cùm gaudium istud suo corde capere nequirit, eodem quoque parentes replebat, & nec hora transibat, nec momentum, quo non DEO gratum se sisteret. Unde solitò crebriùs templa, sanctissimâque Sacramenta frequenta- bat, nec quidquam intermittebat, quo gratitudinis suæ specimen exhibere posset. Sed quod oppidò in aliquo adolescente mirandum est, consideraris ipse suis talentis, suâ minimè delusus opinione animadvertit, quod ad Religionem aliquam amplectendam esset inhabilis, quippe qui necdum litteris tantùm imbutus esset, ut ad sacros Ordines promoveri posset: cùmque una in aure surdus, & altero, veluti jam memoravimus, oculo læsus esset, secum constituit & constante qui-

B 3

dem

dem animo, hæc refarcire damna, huicq; mederi malo, quò meliùs promissis DEO, Beatissimæque ejus Genitrici factis satisfaceret, nec ea Religio, in cuius gremium recipiendus foret, sui causâ gravaretur.

Priùs verò quàm ingressum in Ordinem Religiosum tentaret, ad Grammaticam addiscendam se accinxit, & scholas non sine magno discendi desiderio repetiit: utque præterea meliùs Ecclesiæ serviret, illique foret utilior, cantui, quem figuratum vocant, sedulum impendit studium, dicere identidem solitus, unum ex altioribus obsequiis, quæ Religiosus DEO præstaret, esse Cantum in Choro, quandoquidem quo ad hoc Angelos imitaretur, laudes Divinas perpetim in cælo continentes. Felix etiam in eligendo sibi Magistro fuit, is enim non solum organicus erat, sed insuper homo fuit charitate insignis, & DEI timore præditus, qui subodoratus Alberti dotes atque talenta præter cantum, organum quoque eundem pulsare docuit, in qua arte eos is fecit profectus, ut, veluti suo loco dicitur, plurimum

mum utilitatis S. Bartholomæi Ecclesiæ  
suò postmodum servitio contulerit.

Interea altiore instinctu se se dispositu-  
rus ad illarum acquisitionem virtutum,  
quæ intra Claustrî septa ad conflictum  
cum ferocissimis hostibus ineundum  
cumprimis sunt necessariæ, gloriosus ut  
inde triumphus reportari valeat, secum  
statuit, eo tempore, quo in mundo subsi-  
stens artibus liberalibus suam collocaret  
operam, appetitum jugo rationis subdere,  
ita quidem ut saltem discipulus in arte spi-  
ritualis militiæ factus, pugnam jamjam  
ingressus, non primos statim ad impetus  
succumberet, quemadmodum pluribus  
incautis crebrò usuvenire solet, qui incon-  
sultò Religiosum Habitum amplectun-  
tur, quasi in ipso Religionis ingressu jam  
vicissent, & non tunc primùm militiam  
auspicarentur: hinc de libris spirituali-  
bus, & de aliquo Conscientiæ suæ Recto-  
re, qui in Ascesi probè exercitatus, mul-  
tùmque discretus esset, sibi circumspexit,  
ut hæc simul in tanti momenti negotio,  
inque itinere tam aspero, tot difficultati-

bus à mundo ac carne excitatis implicato, atque à Cacodæmone impugnato & incommodato Ducis instar sibi forent.

Et quoniam opus non erat, ut ex agro cordis sui optimè elaborato, & exculto venenatas vitiorum eradicaret herbas, earumque in locum salutiferas Christianarum virtutum implantaret; nec etiam necesse esset, ut grandes peccatorum fascis, ac fortes illas & longas errorum catenas dissolveret, nec ut se gravissima gravium delictorum mole, qua peccatores opprimi solent, deoneraret, quòd per DEI gratiam se semper in sancta quadam simplicitate, & vitæ morumque puritate conservaverit, quam secum ab ipsis [ uti verè dici potest ] incunabulis ferebat, cum annis & vigore corporis semper in spiritus vigore crescens solùm tentationibus diabolicis, carnis infestationibus, mundi que machinationibus, quæ omnia in hac prima ætate perquam esse solent vivacia, resistere debebat, ne scilicet eum à recto innocentiaë tramite jam cœpto detorquerent, nec à perfectionis calle abducerent,  
qua-

quare sibi proposuit ea adhibere antidota, quibus tum sufficiens inesset virtus, quâ à vitiorum veneno præservaretur, tum etiam quæ cœlesti gratia abundarent, qua ad Religiosæ perfectionis adeptionem, & ad sinceram cordis puritatem, in qua suo Redemptori dignè famulari posset, attraheretur.

Albertus ergo à rebus hujus mundi transitoriis, quantumcunque viderentur grandes, magni æstimarentur, ac speciosæ apparerent, se penitus, quasi omnino non essent, separavit, totumque DEO transcripsit, ita quidem, ut nec cogitârit, nec dixerit, nec fecerit quidquam, quod non Divinæ Majestati placeret, hinc à fundamentis incepit, ut ædificium antiquum [si tamen quidquam antiqui & imperfecti, quod alicuius esset considerationis, in eo reperiri potuit, qui ut placeret DEO, sibi semper displicuit] uno statim ictu concideret, incepit, inquam, se ad ima deprimere, & annihilationi suæ intantum studere, ut seipsum infra omnes abjiciens, quosvis alios, eosdem amando,

B 5

ho.

honorando, æstimando tanquam bonos, seseque longè meliores, DEOQUE gratiores pluris omninò faceret.

Erga Paupertatem ceu Sponsam unicè dilectam mira teneritudine afficiebatur: hic sermo non est de illa Paupertate, quæ nos aliquo commodo privat, & aliquam nobis molestiam affert, cùm ne ditiores quidem id omne possideant, quod immoderatè concupiscunt: sed de illa loquor felici, sanctaque paupertate, quæ rerum necessariorum quoad victum, vestitum, habitationem, ac similia, defectum æquanimitè tolerat. Vim insuper sibi intulit, ne unquam propriæ suæ voluntati velificaretur, timens, ne ea aliquando corporeæ voluptati ceu periculosa ac infensa adulatrici se accommodaret, sed in id duntaxat propenderet, quod eidem adversaretur, utque consilium hoc arduum, ac difficile, gloriosum tamen, DEOQUE acceptum facilius executioni mandaret, se paulatim assuefecit, ut nihil loqueretur, nihil operaretur, nihilque possideret nisi dependenter à nutu parentum, Magistro-  
rum,

rum, & suæ conscientiæ moderatoris, & hoc tamdiu, donec voluntas planè subjugata rationis imperio, obedire consuesceret.

Sed quid de altero illo præservativo, quod stomachus juvenum sæcularium admodum difficulter concoquere potest, ab Alberto tamen peregrinè sibi accommodato dicemus? Is etiamnum inter sæculares constitutus à mundi inquilinis non animò solum, sed & corpore se se abstraxit, se namque, aiebat, notâsse, quòd, si flumina commisceantur, unum aquæ limpidaë, & crystallinaë, alterum turbidaë & impuraë, prioris aqua naturalis suæ claritatis jacturam patiatur, & ex consortio alterius turbida & lutosa evadat, nec non talis ad cursûs usque finem non sine sui dedecore peduret: sic quoque, inferebat, rem se habere cum mente religiosa, siquidem ea in familiari cum sæcularibus consuetudine rebus terrenis facilè sordidatur, atque minore ardore cœlestia concupiscit, & eadem minus suo intellectu penetrando sæpiùs in finem usque in propria-

pria-

priarum tenebrarum obscuritate perseverat. Non absque ratione hîc dici posse quòd, Albertus instar Danielis, qui Babylone commoratus ex habitationis suæ fenestris Jerosolymam versùs suspirabat, si ipse non nisi corpore constitutus in mundo ad cœlestem Jerosolymam conversus omnes suas cogitationes, cor, & animam in DEUM elevata, teneret.

Illud autem cum primis mirandum fuit, quòd Albertus, priùs ac Claustralen in militiam ascisceretur, de iis sibi providerit armis, quæ, uti fert opinio, in Monasteriorum officinis limatiora, fortioraque quam alibi procuduntur, quando videlicet, quod mundus abhorret, ipse amare cruces & afflictiones, labores ac persecutiones, carnis macerationes, & verbum quidquid hominibus carnalibus ingratum est, desiderare cœpit: etenim, dicebat ipse, sunt ista totidem limæ, quæ animarum nostrarum rubiginem abstergunt & eidem coram DEO splendorem conciliant: ista etsi sint in initiò molesta, nihilominus ipsa consuetudine familiaria, & ob

fa.

salutem, quæ veluti comes eisdem adhæret, fiunt tolerabilia: hæc dein plerumque sequitur mortis meditatio longè saluberrima, & calcar ad bene operandum prorsus acutissimum, quemadmodum & consideratio cœlestis gloriæ potens admodum frenum est ad homines à peccato retrahendos.

O benedicte Juvenis, homo DEI Altissime in schola JESU Christi erudite, qui Religiosus es, antquam sacrum Religiosorum amictum induis, priùs in hac palæstra Dux, quàm miles, priùs Magister, quàm discipulus! quid mirum dein, quòd tantus DEI servus evaseris?

Hunc in modum felicissimus Albertus ad amplexandam Christi militiam stupentibus illis, à quibus agnoscebatur, se se comparabat, quippe qui paternis ex ædibus fecerit Monasterium, & ex hypocausto Cellam, è qua non egrediebatur, nisi vel ad scholam, vel ad templum eundem esset; sique in alterutro loco sua negotia expedivisset, domum regredi primus isque accuratissimus labor erat, ne

vi-

videlicet in aliquid impingeret, quod eius animi serenitatem turbare posset, fugiens nimirum consortium omnium, ut cum DEO solo esset, ita ut magis benè mortificatus *Religiosus*, quàm *Studiosus* in primo juvenilis ætatis fervore esse videretur.

## CAPUT V.

*Habitu Canonice Regularium  
Congreg: Lateranensis assumit.*

**Æ**Tatis annos jam vicanos Albertus explerat, quo tempore omnes animæ potentiæ se solis suam agendi virtutem explicare solent, & cum corpus haberet satis commodè dispositum, illarum ut imperio subesset, præsertim quòd continuo orationis & mortificationis exercitio sensum rationi jam subdidisset, minimè longiores moras nectendas esse ratus est, timens, ne duo inimici jam pridem sub jugum missi, mundus videlicet suarum occasione vanitatum, ac caro semper infirma & recalcitrans improvisis motibus

in

in se denuò insurgerent: hinc ob ardentissimum desiderium fugiendi, & intra Claustri munimenta se se abdendi, ubi nonnisi cum omnium potentissimo sagacissimóque hoste congregari deberet, horæ ipsi dies, septimanæ menses, hi verò integri videbantur anni.

Verùm cum plures sint Religiones, uti Habitu, sic & moribûs inter se distinctæ, licet omnes bonæ sanctæque; ipsi verò cujusvis conditiones ac leges minimè perspectæ essent, multiplici animus implicabatur cogitatione, quænam tot inter eligenda foret, utpote statui suo convenientior. Et tamen propenderet in magis austeram, in qua pluribus subjectus incommodis gratiorem sui oblationem DEO reddere posset, prius nihilominus cum hominibus expertis deliberare voluit: quippe quòd sit actus summæ prudentiæ in rebus difficilioribus, quæve momenti non sunt mediocris, intellectu non benè penetratis ad ejusmodi professionis peritos confugere, ne quis temerè in ea prolatur mala, quibus non alia super-

per-

perest emendatio, quam pœnitentia fera  
& profus infructuosa: quapropter fun-  
dendis precibus totum se applicans, in-  
stantibus DEUM votis exorabat, ut sibi  
inspiraret, ad quem se conferre deberet,  
fuitque eo, qui sequitur modo, exau-  
ditus.

Per id temporis Abbas S. Bartholomæi  
Vicentiæ Canoniorum Regulariū Con-  
greg: Lateranensis erat Pater quidam ma-  
gni Vir nominis & authoritatis ob vitæ  
sanctitatem, morum gravitatem, ac co-  
piosam admodum doctrinam, & vel ma-  
ximè, quòd ornatus esset, iisque omnibus  
excultus virtutibus, quæ in eo requirun-  
tur, qui ad regendas ac dirigendas Christi-  
oves virgam pastorem tractat, nimirum  
Reverendissimus Dn. Bonifacius Casta-  
gnarus Veronensis, cuius nomen, animi  
jam cœlo receptâ, etiamnum summæ in  
terris apud omnes venerationi est. Hi-  
ergo sic volente DEO [ qui media neces-  
saria ad destinatos infallibilis suæ Provi-  
dentia fines disponit ] fortè in sacrum  
Montem Bericum ascendit, cum etiam

Al

Albertus orationi intentus eodem in loco fuit, uterque deinde post dictum ab Abbate, auditumque ab altero sacrum simul se in regressu Vincentiam versus conjunxerunt: sed in viâ cum humanissimus Abbas piûm Juvenem ad colloquendum secum provocâisset, atque ab uno ad aliud colloquium pertraxisset, animadvertit, gravibus eum, atque anxii occupari cogitationibus, eaque propter originem eandem ex illo sciscitatus fuit. Prudens juvenis, quòd existimârit, se eum reperisse virum, quem à DEO tot votis & lacrymis expetiisset, ut suæ eum causæ ac negotii consiliarium adhiberet, sui cordis arcana ipsi integrè aperuit: *Pater, aiebat, mearum causa cogitationum minimè levis est, matura, uti Vestra P.<sup>tas</sup> videt, jam sum ætatis, sed ab omni mundi negotio totus quantus alienus, mea siquidem inclinatio, meum desiderium, re scil: altiùs ponderatâ, semper fuit, eritque DEO in aliquo Monasterio serviendi, & ad hoc ipsum reapse perficiendum in hoc sacro DEI paræ templo voto me obstrinxi, atque hodie in illud ascen-*

C

dens

*dens gratiam flagitaturus, ut mihi inspiraretur, in qua Religione DEO meum magè gratum foret obsequium, existimo me fuisse exauditum, dum V.<sup>ram</sup> Pat.<sup>em</sup> obviam habeo, pro in eandem toto animo obtestor, ut in tanti momenti negotio tale mihi suggerat consilium, quod mea persona magis accommodatum esse videbitur.*

Per benignè, quod Albertus proposuerat, Venerabilis Abbas excepit, respondensque magnâ cum affabilitate, laudo, aiebat, *sanctum animi tui propositum, in quo cum hucusque DEUS tibi gratificatus fuerit, ipse quoque modum & media desideratum finem consequendi subministrabit. Omnes Religiosorum Ordines boni sunt, sed non omnes omnibus adaptantur, nam quemadmodum diversa corporum, animorumque complexiones inveniuntur, ita quoque aeterna DEI Sapientia diversos Ordines in Ecclesiâ suâ constituit, in quibus Religiosum sibi cultum adhiberi desiderat. Ubi cum huiusmodi differentia probè ad trutinam fuerit revocata, ex benè ordinato Religiosum inter, & Religionem sponsalio, promanat*  
*har-*

harmonia quadam, gratissima, Divina Ma-  
jestati, servitutis, nec non pacis cujusdam &  
unionis, quæ Religionem paradiso terrestri  
similem efficiunt. Econtra quando sine præ-  
vio eiusmodi examine portæ Monasteriorum,  
& Congregationum cuicumque intrare vo-  
lenti aperiuntur, nulla DEO servitus exhi-  
bebitur, sed inde orietur confusio, & ex con-  
fusione non paradus, sed purgatorium ali-  
quod, vel etiam infernus animarum despe-  
ratarum proveniet. Proinde, mi Fili, hoc  
tuum negotium cum sit arduum, multa in-  
diget consideratione: in ætate jam maturâ  
versaris, & quidem tali, quæ videatur ido-  
nea ad subeunda Disciplina Regularis onera:  
atqui verò, uti ego animadverto, corporis  
tui compositio ad Religionis austeræ sustinen-  
dos labores, & incommoda non est adeo ro-  
busta, hinc mihi persuasum habeo, quod ani-  
mi tui dispositio primam difficultatem supe-  
rare queat, at secunda non nisi per singula-  
rem DEI gratiam removeri poterit.

Anxius Juvenis his Abbatis verbis non  
nullo levamento recreatus esse videbatur,  
siquidem ita eadem interpretabatur, quasi

eum ab omnibus aliis Ordinibus excluderet, excepta Congregatione Lateranensi, utpote quòd admodum moderata tam in Regula, quam in Decretis & Observantiis Regularibus omnis generis constitutionibus animorum æquè ac corporum conveniat, dummodo homines non ob sua commoda aliòsque fines, sed ut solùm Divino servitio in ea se mancipent, ad intrandum in illam pertrahantur: Quare cordatior Albertus *quid igitur, inquit, me facere oportet? Anne à meo desistam proposito? Spemne abjiciam, eam impetrandi ab hominibus gratiam, quæ, uti opinor, ne quidem à DEO mihi denegatur? Num voto deero, quo Divinæ obnoxius sum Majestati? Absit hoc Fili, reposuit Abbas, nam Optimus DEUS, quando dat velle in rebus ad cultum suum spectantibus, simul etiam vires tribuit: ipse viam, quæ clausa videtur, aperiet, ut ad summitatem ad quam aspiras, & suspiras, ascendere valeas. Plures in hac Urbe Religiosorum sunt Ordines, nec tamen ullum adhuc tentasti: bono sis animo, neque te ipsum conturbes: omnium conatum ad*

DEI

*DEI gloriam tendentium initium est difficile, utpote ab inferno impugnatum, at si Divinâ fulciantur gratiâ, felicissimo fine coronantur.*

*Ergo, subjungit Albertus, animatus ego R. dæ P. tis V. ræ exhortatione hanc ab ea gratiam supplex efflagito, ut scilicet mihi ad portam Congregationis vestræ pulsare liceat, manus, obsecro, ipsius, cum clavem ad eandem teneat, mihi aperire dignetur.*

Ad hanc ex animo profectam ac resolutam petitionem commota sunt optimi Abbatis pietatis viscera, qui occulta virtute persuasus eum corroboravit, ut bono esset animo, atque negotium istud Domino DEO Beatissimæque Virgini commendaret, se quoque, aiebat, id ipsum facturum: ad hæc ei promisit, se, quidquid ambos inter intercessisset, suis relaturum Canonicis, sicque non sine intimo amoris sensu Albertum valere jussit.

Interea Juvenis de rei successu perquam sollicitus Matri ceu filius obsequens [ Pater enim naturæ jam concesserat ] ordine, quidquid accidisset, recensuit, eamque

monuit, ut, quidquid Divina Providentia secum disposuisset, ratum haberet. Hæc tametsi ob inexpectatam hanc relationem commoveretur, cum cor ipsius isthoc dono è cælo, uti existimabat, accepto spoliari non sustineret, videlicet, ut laboriosæ vitæ suæ, senio jam fractæ, sustentamento foret, nihilominus filii sollicitationibus, ac urgentibus persuasa rationibus, eius tandem voluntati acquievit.

Interim & Abbas suis Canonicis dictorum, ac gestorum cum Alberto copiam fecit, præterea pios juxta ac graves ipsius mores, DEI Spiritum, quo regeretur, & singularem prudentiam ab eodem in suis actionibus demonstratam adjunxit, & unà conclusit, si ex signis DEI Servi & Amici dignoscerentur, existimare se, quòd nullum eorundem Alberto deesset. Hoc pacto cum Abbas suorum animos ad eum recipiendum disposuisset, læti ipsi tali Candidato, mox ubi comparuit, gratiam eorundem flagitaturus [ non prætermisissis solitis in ejusmodi casibus ceremoniis ] eum in Christi militiam sub candi- do

do Lateranensium Canonicorum vexillo stipendia meritum aggregarunt; nec enim multum temporis intercessit, cum per ejusdem Abbatis manus in Collegium Canonicorum S. Bartholomæi Vicentiæ decimo octavo Calendas Octobris Anno reparatæ nostræ Salutis M.D.LXVII. fuit cooptatus, nomine *Antonii Mariae*, quod habebat in sæculo, in *Alberti* secundum nostræ Congregationis leges commutato, at tamen non idcirco mores mutavit, sed potius in dies eosdem mirabiliter perfecit, uti porrò prosequemur.

## CAPUT VI.

### *Religiosum Alberti Tirocinium.*

**A**lbertus Candidatorum Christi militum insertus numero, ante omnia arctè, magnaque animi promptitudiue virgam obedientiæ amplexus est, ut, quoad vixit, nunquam attenderit, cuius ipsa manibus torqueretur, num talis virtute, ac meritis ornatus esset, vel adhibitâ discretionem eandem tractaret, amore JE-

SU Christi omnem illius ictum, quantumvis voluntarium ac gravem perferens, non solum absque illius causæ investigatione, sed etiam absque ulla, ullius vel minimi signi doloris alicuius demonstratione, id quod non immerito inter nostræ humanitatis mirabilia censeri debet, quippe quæ magis præesse, quàm aliis subesse desiderat.

In eo dein suam collocavit operam, ut animam suam redderet candidam, non quidem eo rore, qui pannos nivis instat facit albos, sed eo, qui animam immortalem in Divino conspectu efficit splendidi simam, hoc est, sudore, lacrymis, ac cruore. Et quoniam nihil non rarum fuit atq; mirabile corruptis hisce nostris temporibus, quibus homines addicti mundo dicunt, Sanctorum tempora jam evanuisse, aliquam saltem eius adumbrare partem studebo, ut cum DEUS in suo Servo glorificatus fuerit, possit hōe, quisquis ipsum imitari velle, inductus exemplo animari ad calcandos, sub grandi fasce myrrhæ, tribulos, ac spinas, suum ut Dominum in

Cal.

Calvariæ montem sequatur, & propriam  
ibidem carnem cruci affigat.

Suscepit itaque Habitum, quemadmo-  
dum memoravimus, in ætate satis matu-  
ra contra usum ordinarium Congrega-  
tionis Lateranensis, cui ab experienciâ  
ætas tenerior, utpote facilior ad perdiscen-  
dos ritus, & consuetudines Regulares, &  
perverfis hujus sæculi moribus adhuc mi-  
nùs imbuta magis arridet. Atqui verò  
eius in Tirocinio collegæ, ætate ipso ju-  
niore, atque adeò ad hilaritatem pronio-  
res flocci suo more bonitatem & simpli-  
citem Alberti pendentibus diebùs, rela-  
xandis animis, corporibùsque destinatis,  
per jocum, aninùque causâ eundem tra-  
duxerunt; quibus tamen ipse non tantum  
non indignabatur, sed potius ejusmodi,  
jocos & ludibria ceu singulares favores  
coelitus submissos excipiebat, haud aliter,  
quàm si à Divina Providentia admonere-  
tur, supra humilitatem suique ipsius con-  
temptum, primum spiritualis ædificii sui  
lapidem ponendum esse.

Itaque tam abjectè, summissèque de

C s

se

se sensit, ut non solum nulla ipsi molestia crearetur, quod ab illis juvenibus sua simplicitas derideretur, quin potius non sine interno mentis jubilo tum his, tum aliis perlibenter ansam præbuisset, quatenus pro stulto haberetur, ut in DEI conspectu sapiens evaderet. Verum dubitans ipse ne ab inimico sub hoc obtentu, veluti suorum uno laqueorum, oculis invisibili deciperetur, utpote nondum bene ejus adhuc dolos expertus, his in initiis admodum cautus incessit nulli parcens industria, ut supra hoc humilitatis fundamentum ædificium erigeret, superba Nembroti turre longè eminentius, hoc pacto cœlum impugnaturus, & expugnaturus. Atque hunc in finem instar prudentis architecti, ut fabrica ad amissim ascenderet, ita ut nec in unam, nec in alteram partem magis inclinaret, omnèque ruinæ, antequam ad finem esset perducta, periculum amoveretur, discretionis lineam ab imo fundamento in cœlum usque deduxit, juxta cuius deinde normam mirabiliter illam in altum evexit, pretiosos in eadem

virtutum lapides cœlestis artificis ope locando, quatenus ad tantam sublimitatem perveniret.

Sed si ad Alberti vittutes referendas me accingo, à quibus exordiar? quas enarrem, & quas prætermittam? Si ex, è quibus scalam sibi formaverat, per quam è terra [ ut piè credendum ] super sidera conscendit, tanto sunt in numero, sunt planè innumerabiles, suntque tales, ut earundem quælibet hominem efficiat beatum, dummodo posita ad aratrum manu, non amplius respiciat retrò. Referam itaque, sed illud tantum, quod è testibus oculatis, omnique fide dignissimis intellexi: quod ipsemet ego vidi; & quod ex ore ipso humilis *Altissimi* DEL Famuli percepi. Et quoniam inter omnia primum, quod homo sibi proponere debet, ut laborum suorum finem consequatur, est in bono constans, perpetuâque persistendi voluntas, ab hac initium ducam.

Probè ipsi, & indubiè experienciâ docto perspectum erat, mentem humanam suapte naturâ mobilitati subjectam esse,

&

& instar mollis ceræ quaslibet in se figuratur, amp  
ras recipere hoc tamen ordine miserando, quòd primæ deleantur à secundis, ista E  
do, quòd primæ deleantur à secundis, ista E  
à sequentibus, & sic deinceps aliæ ab aliis nec  
quare volens ipse suam firmare mentem plurim  
ut eos characteres, quos ipsi imprimer aliis  
desideraverat, semper conservaret, suam & in  
in cellam, in quam pridem mundum unum li, te  
versum concluderat, se se abdidit, ne jam unan  
in hoc, jam in alio loco circumvagans va cont  
cillaret, illamque animi perderet attentio ret, r  
nem ac quietem, quam tenaciter acquire ratic  
re concupiscebatur, eam enim semel per ev lium  
gationem amissam, non amplius nisi multa exer  
cum labore ac dolore recuperari potest tato  
quemadmodum ipsemet suo periculo ad ner  
huc in sæculo constitutus expertus fuerat poss  
domo paternam egredi subinde coactus V  
eius enim etsi postea compos denuo fieret mul  
indoluit nihilominus, quòd illius fructum mul  
plurimum augere potuisset, si domo non qui  
exivisset: & certè magno ipsi labore con par  
stitit eum in statum se se remittere, in qu Ap  
jam antea fuerat: nimirum uti tempus que  
quod præterit, non amplius retrogredi ut  
tur

figuratur, sic bonum amissum recuperari non amplius potest.

Ergo in sua Albertus Cella manebat, nec inde egrediebatur, nisi vel ad templum, vel ad commune triclinium cum aliis vocatus, vel à Superiore exire iussus: & in hac se se exercens diligentiam mirabili, tempus omne divisit, ut nunc horam unam Religionis, & Ecclesie ritibus ac consuetudinibus perdiscendis impenderet, nunc aliam orationi, carnisque macerationi dicaret, aliam librorum spiritualium lectioni, diversisque aliis salutaribus exercitiis ac studiis addiceret, ut adeo tentator nullo eum tempore otiosum inveni-  
nerit, quo ipsum commodè aggredi posset.

Verum cum arma inimici *offensiva* sint multiplicia, variaque; oportet ut etiam multa, variaque sint arma *defensiva* illius, qui ad ipsi fortiter occurrendum se præparat: arma novus Athleta præter illa ab Apostolo ad Corinthios indicata propria quoque sacrorum Claustrorum assumpsit, ut facilius bello sibi intra Claustrum in-

di-

dicto resisteret, ubi Sathanas etiam armis  
perquam acuta, graviterque ferientia ad-  
hibet, eaque vibrat arte majore, quam  
alias faceret ad superandos illos, qui in sæ-  
culo adhuc constituti secum congregiuntur.

In regularibus itaq; observantiis adeo  
fuit assiduus, ut tempore matutino nun-  
quam fuerit somnolentus, ad psallendum  
autem, & orandum corpore verberibus  
ac flagris probe excepto optimè disposi-  
tus. In laboriosis, & abjectis exercitiis  
semper animo hilaris omnium fuit prom-  
ptissimus: siquidem semper ipse primus  
fuit, non ut socios ad eadem invitaret,  
sed proprios humeros supponeret, etiam  
iis, quæ aliis erant assignata, ut vel alle-  
viaret, vel omnino, aut saltem notabiliter  
eorundem labores imminueret, ubi per-  
sæpè omnium cum admiratione magnis  
lignorum fascibus, litigantibus sociis, cui  
nam incumberet, eos ad locum communis  
foco deputatum portare, suos ipse hume-  
ros subiicere visus est, hoc pacto eam li-  
gerem, quâ ipsorum animi conturbari pote-  
rant,

rant, averruncaturus: quemadmodum etiam in aliis magè laboriosis exercitiis, sed quæ singularis erant charitatis, utpote ad hospitalitatem & ad infirmos pertinentia, ac etiam commune Patrum obsequium concernentia, dum contentio oriebatur, promptè aliorum in se onera suscipit.

Obedientiæ non tantùm in ordinariis, sed etiam difficilioribus, vilioribusque Monasterii & Ecclesiæ rebus exercendæ summo flagrabat desiderio, atque ejusmodi mandata tanta promptitudine exequabatur, ut suos Superiores ad se magis probandum, & exercendum pellexerit, unde & ipsi labores & sudores multiplicabantur: aliis id admirantibus, exultabat ipse cæteris, meritis, potior apud DEUM, à quo vires & virtutem resistendi, omniaque perferendi accipiebat. Et tamen sibi vel nihil, vel admodum parùm præstare videbatur, quando animo volvebat, quòd suus Redemptor ex obedientia ipsos triginta tres annos gravissimos labores subiverit, eosque sub durissimi ligni graviore  
ad-

adhuc iugo terminari, nec non eidem affigi tandem voluerit.

Albertus à natura proprium in iudicium haud parum propensus optimè cognoscebat, ab eodem irreparabile damnum suo tempore sibi creari posse, hinc extremè illud abhorruit: quare hunc ut defectum vinceret, & ab eo se quantocyù expediret, vi sibi generosè illatâ [ non nescius, eum, qui proprias passiones, ce inimicos internos superare negligit, victoriam ab externis nunquam reportaturū voluit seipsum, ipsò statim Religiosæ vitæ initio assuefacere, ne quidquam, quantumcunque secretum, sanctum, ac licitum id esset, absque iudicio, & voluntate Magistri auspicaretur, ubi præter hoc singulare victoriæ de proprio iudicio obtenta lucrum omnem superbiæ tentationem declinabat, nec non periculo cuiusvis erroris committendi se eximebat: præsumptio namque pessimus Magister eius illius, qui per se seipsum quidvis vult ad discere, & aggredi: hanc ascesin quia Albertus probè calluit, ea etiam feliciter ipsi

cess

cessit, quamdiu sub Magistro vixit, atque eius se voluntati submittendi occasionem habuit: verum solitariam amplexus vitam, nonnullam postea difficultatem in eadem passus est, non quidem ex suæ defectu voluntatis utpote semper immutata, sed quòd, cum ad solitudinem recurrendo omnem vitaturus occasionem scandalii, & offensæ aliorum animadverteret, proprio se iudicio nimium inhærere, ex ipsomet antidoto, amore proprii iudicii solitariæ vitæ innato, venenum sibi conficeret: quod ipsum dein iudicium Angelus ille Sathanæ fuit, à quo exercebatur: at incassum, nam quantumcunque vario sub schemate is se repræsentaret, optimè tamen eum agnoscebat, & ad primum statim conspectum in fugam agebat.

Tempore Recreationis nunquam suorum sociorum consortio se subducebat, immò potius eandem certâ quadam lætitiâ è suâ puritate conscientia promanante, veluti condimento aliquo perficiebat: atque hoc faciebat non tantum ad evitan-

D. dam

dam singularitatem, sed vel maximè, ne videretur durus, difficilis, & obstinatus qui sunt defectus, in quos solitarii facile impingunt, & difficulter iis se extricant, cum vitia non solitudine, sed resistentiæ vincantur: ne proin eos contristaret, se se cum ipsis exhilarabat: & quantumvis intra se doleret ob tempus illud, quod se amisisse existimabat, animo nihilominus exultabat, quod ad eiusmodi Relaxationis genus alioqui ineptus, aliis non nisi joco esset. Et certè quis risum cohibeat, si homo jam adultus ea videatur gratia ac lepore destitutus, qui in talibus congressibus desideratur, quo tamen juniores plerumque sunt præditi, suū ut cum similibus ludere ac joculari possint? At quū fieri potest, ut homo ad corporalia applicet animum, cui non nisi spiritualia sapiunt: & quomodo poterunt mundi oblectamenta illi placere, cui solū id cordi est, quod ad DEI cultum, & gloriam ordinatur?

\* \* \*

CA.

## CAPUT VII.

*Tentatur Albertus, ut Religiosæ vitæ  
nuntium remittat.*

**H**Æc honesta animi remissio rima  
quædam fuit non animadversa,  
per quam astutus insidiator captata occa-  
sione nocturnis æque ac diurnis horis  
quæsit, quâ arcem illius animæ clancu-  
lum subiens DEI Servum aggredi posset:  
& fuit assultus adeò improvisus, tamquæ  
versutus, ut is certam exinde sibi victo-  
riam sponderit.

Fortè Albertus digressus è Recreatione  
suam in Cellam se conferebat ea vexatus  
cogitatione, quasi gravem contra Regu-  
las, DEIque legem defectum admisisset:  
dum ergo ea statim hora, & insequenti  
nocte planè anxius de eodem emendan-  
do cogitat, vocem intus in animo obmur-  
murantem audit: *Quid agis miser? nulla  
non die hîc deficis, & te oculos, aurèsque Di-  
vinas elusurum existimas? Estne tibi ani-  
mus perseverandi in actione aliqua infan-  
tili, & tamen veniam consequi speras? Pue-*

ris se se oblectari permissum est, ad te, qui jam adultioris ætatis es, alia spectant exercitia: an non vides, quomodo irridearis, & subsanneris? ansam aliis, dum te irrident, DEUM offendendi præbes, & persuades tibi ex alterius damno proficere? Sed erras infelix homo, hæc omnia peccata tibi adscribuntur, à te enim eorundem oritur causa, quæ non desinet, nisi firmo decreto ab hisce pueris te separare statuas: At hoc quomodo in effectum deduces, quandoquidem cum ipsis vitam agis sub eodem Magistro, in eodem Monasterio, sub eadem disciplinâ, eademque vivendi ratione? Memento quietis in domo tuâ, ubi Domino tuo sine contradictione serviebas: & quis obsistet tibi, ne ad eâ perfruendum redeas? Quamdiu Professus non es, ad eum tibi nidum revolare licet, è quo prodisti: emendatione delentur errata: tuæ quoque dilectæ parenti solatium afferes, quam non sinè ingratitude notâ in sua senectute deseruisti: fortassis illa non conqueritur, non affligitur, quod te tuo suove damno perdiderit. Sed quid? fortè tuo metuis honori? an ignoras, pruden-

tis esse, subinde mutare consilium? Jephthe in  
 voto suo perseverans peccati reum se fecit,  
 David verò mutans consilium de Nabale tol-  
 lendo è medio benedictionem promeruit;  
 & hæc te non moveant exempla? Verùm si  
 putas, gratius esse sacrificium, quod DEO de  
 te ipso in Claustro fecisse præsumis, magno-  
 perè falleris; dic obsecro, nunquid Christus  
 pro unâ solùm animâ suam profudit sangui-  
 nem? Nunquid pro te solo Cruci affixus, ac  
 mortuus fuit, ut tuam duntaxat animam  
 redimeret? Pro omnibus sanguinem fudit,  
 pro omnibus crucifigi, ac mori voluit. Jam  
 verò si studium operamque impendas pluri-  
 bus in paradisum animabus perducendis,  
 igitur non acceptius hoc tuum erit obsequi-  
 um, quàm si tibi soli, & non aliis id impen-  
 das? scilicet nimium tuis intentus commo-  
 dis non alios, sed te solùm curas. Vide, si te  
 in seculo in vita ascetica exerceres unius in-  
 tegra civitatis oculis expositus, quot non tuo  
 exemplo invitare, tuis consiliis sublevare,  
 tua ope succurrere ad agendam pœnitentiam  
 posses, ut te aliquando in paradisum subse-  
 querentur, ubi caput millenarum aliquot

*animarum existens majore gloria gradu donandus esses? Quid agis? Quid mente revolvis? Decerne aliquando generoso animo relinquere otium hujus vivorum sepulchri, atque regredere in mundi theatrum ad pugnandum cum feris, cum Cerebro illo tricipite: si primis annis quantâ cum gloriâ, tantâ quoque facilitate de illis triumphare cœpisti, nunc cum majore gratia abundas, integram de eisdem palmam reportabis: Charitas non querit quæ sua sunt, sed quæ JESU Christi: ista te non latent, & tamen tibi soli attendis, alterius vero salutem negligis: egregium scilicet Christi imitatore agis!*

Virus hujus pessimæ suggestionis usque ad animæ DEI Servi medullam penetravit, à qua furiosè exagitatus miserè cruciabatur. Sed fidelis DEUS, qui è sublimi misericordiæ suæ Throno certamen suorum Athletarum aspiciens non permittit, ut supra vires illi suas tententur, pio quoque aspectu tentato subvenit Alberto, nec non Divinæ suæ gratiæ radiis collustrato dedit ipsi agnoscere, tentationem istam inferni partem esse, eique vi-

res

res ad eam superandam subministravit:  
 quare formato Crucis signo se aggredien-  
 tem tam generosè repressit, ut vivacissi-  
 ma Alberti fide superatus, & confusus ad  
 capeffendam fugam coactus fuerit: *Fa-  
 cesse, inquiebat, perfide Adulator, si falsa est  
 doctrina, quam tu è stygia haustam scholâ  
 mendax Magister doces, fallacia etiam erunt  
 argumenta, quibus mihi regressum è Jeroso-  
 lymâ veritatis scholâ, ad Ægyptum errorum  
 fecundissimam matrem persuadere conaris.  
 Tibi Divinae aures erant occlusæ, quando,  
 etsi creatura tantum esses, voluisti tamen  
 tuamet instigatus superbiâ Creatori tuo  
 equalem te facere, mihi verò, ut cum parvu-  
 lis ob eius amorem fiam parvulus, favente  
 illius gratiâ stabunt apertæ: joci sunt, non  
 ludibria, quibus me juniores exercent, quo-  
 rum simplicitate tu solum offenderis, sed quod  
 ipsis convivam, quemadmodum id agrè fers,  
 ita maximo mihi emolumento est, DEO q̄  
 meo gratissimum. In mundo, in quo pater-  
 ni lares mei sunt siti, & ubi tu liberè cir-  
 cumvagaris, pax alia non est, nisi falsa, non  
 alia securitas, quam que innumeris involu-*

ta periculus est: hinc intra Claustri vallum  
me concludam, in quo, qui tibi portam non  
aperit, tuis ab insidiis securus delitescit:  
parenti mea sunt alii adhuc liberi me magis  
idonei ad ipsi succurrendum: præterquam  
quod illa me nequaquam perdiderit in tali  
nimirum loco constitutum, in quo majori ipsi  
adjumento esse potero, unde & summopere se  
bi gratulatur. Verum est, prudentis esse mu-  
tare consilium, dummodo in melius non de-  
terius mutet: idcirco David benedictionem  
consecutus est, quod sententiam contra Na-  
balem stultum & ebrium fulminatam me-  
liore commutavit, Jephthe vero suâ constan-  
tiâ peccavit, quoniam votum mactandæ pro-  
sacrificio innocentis filia temerarium fuit.  
Et hæc ipsa exempla stimulo mihi sunt, ut  
meliora amplexus consilia, quale præsens est.  
DEO meo in ista Religione ad extremum us-  
que vitæ meæ spiritum famulari, & tunc so-  
lummodo, si, quod absit, eius aliquando legem  
infringam, mutare propositum & quidem  
cum emendatione offensæ tanti Domini con-  
veniente, constans in iis perseverem. posse.  
& tu o infelix ita facere? nempe solus ho-

mo hoc gaudet privilegio, mutare videlicet consilium, & DEI singularis est gratia, si in melius id mutet: sicuti tuæ opus est invidia, si deteriore commutet. Abundat Ecclesia hac etate operariis, qui non meas tantum, sed eorum omnium vices supplebunt, quotquot in claustris degunt, quæ sunt asyla mortuorum mundo, & sepulchra viventium in Christo, qui, cum pro omnibus hominibus Crucis ignominiam pertulerit, omnibus etiam nobis Cælum comparavit, vobis verò pœnas infernales auxit, & auget. An ignoras, rebellis DEO spiritus, Regno cælorum aptum non esse, retrò, positâ jam ad aratrum manu, respicientem? Hic itaque loci perseverabo non quidem otiosus, sed ut in hoc Claustro ceu quodam theatro, DEO, eiusq; Angelis spectatoribus tecum in arenam pugnaturus descendam: & cum verum sit, quòd charitas non sibi soli seruiat, post victorias ex te adjuvante Numine reportatas proximorum salutem promovende ad tuam confusionem, DEI verò majorem gloriam unice invigilabo.

Hâc pius ac victoriosus Christi miles

D 5

Al-

Albertus victoriâ confirmatus omne studium in id contulit, ut se ritè ad solemnem votorum Professionem præpararet. Vidisset tunc verum quendam Abrahamum ad Divinarum inspirationum vocem egressum *de terra sua, & de cognatione sua, & de domo Patris sui*, inque terram promissam sacram videlicet Religionem ingressum, unôque quasi momento matrem, cognatos, res omnes, ipsûmque mundum suâ è memoriâ expunxisse, ut eodignum fieret receptaculum DEI, maximorumque beneficiorum ab eius benignissima liberalitate perceptorum, quorum cum nullo non die suaviter meminisset, totus in lacrymas solvebatur.

Cum itaque isthoc apparatus præclarissimo sui finem tirocinii attigisset, ab Abbate, prout Religionis fert consuetudo, ad solemnem invitatus Professionem, dici non potest, quanta cum animi demissione atque lætitia desideratam invitationem acceptârit: humiliavit se sub faciendæ Professionis magnitudine, & summo gaudio gestiebat, quòd desiderio-

rum

rum suorum metam consecuturus esset; humiliavit se coram tanta DEI Majestate, quæ sua vota recipere dignaretur; & summoperè lætatus est, considerando, quod dignus fuerit habitus, qui ad eorundem admitteretur Professionem; humiliavit se ob timorem propriæ fragilitatis in eo observando, quod promittebat, utpote quòd humanis tantùm viribus nixus illud exequi nequiret: sed & gavisus est ob spem in illum, qui robur ipsi Divinâ suâ gratiâ addebat; humiliavit se denique sub potente DEI manu, à qua ad suum regeretur beneplacitum, & mirâ perfusus est lætitia, quando vidit, quòd per Professionem vitam aliam puriorem, perfectiorem, nobiliorem, ac denique Angelicæ quàm humanæ longè similiorem attigerit.

## CAPUT VIII.

*Ad servanda Vota solemnia se disponit.*

**A**lbertus mancipium JESU Christi factus, & indissolubili votorum solemn-

lem-

lemnium catenâ ejusdem Cruci alligatus  
Professionem nequaquam finem spei, la-  
borumque suorum esse cognovit, cum  
mundum non deseruerit necessitate co-  
actus, ut in Religionis gremio perfugium  
quæreret, otiosus instar alicuius tineæ la-  
bores aliorum consumpturus, & inutiliter  
messiem ab aliis sudore ac lacrymis semina-  
tam depasturus: sed sciens ipse promil-  
sum plena factum voluntate cadere in de-  
bitum, non ut finem illud, sed tanquam  
militiæ spiritualis initium arripuit, persua-  
dens sibi, quidquid hucusque fuisset ope-  
ratus, quoddam ad ea fuisse præludium  
ad quæ deinceps obligaretur: hinc subli-  
mem suam pollicitationem ad trutinam  
revocans cum eandem comperisset pro-  
fus absolutam, DEOQUE nulla interjecta  
conditione factam, contractu intra ma-  
nus Superioris, qui Divinæ Majestatis no-  
mine eundem acceptârat, interposita sti-  
pulatione inuito: cumque etiam memi-  
nisset, quàm terribiliter Ananias, & Sap-  
phira ob defraudatum denarium fuerint  
castigati, terrore concutiebatur, confi-

deran  
vel au  
confe  
esset,  
verbi  
quido  
opera  
mo f  
tum  
triarc  
lari se  
& ser  
tias c  
No  
cient  
dand  
curat  
tiam  
pla,  
imita  
essen  
Post  
men  
qui h  
Luci  
de

derans pœnas iis debitas, qui non argentô  
vel aurô, sed seipsîs DEUM ipsum, cui se  
consecrârunt, defraudant: ubi ut securior  
esset, nec ingratus transgressor suis deesset  
verbis, memoriæ commendare studuit,  
quidquid in fuorum executione votorum  
operari tenebatur: utque majorem ani-  
mo suo tranquillitatem pareret, se se to-  
tum studio Regulæ, aliorumque S. Pa-  
triarchæ nostri AUGUSTINI de Vita Regu-  
lari scriptorum impendit; ad hæc simul  
& semel ordinationes, ritus, ac observan-  
tias cœnobitales in praxin redegit.

Neque isto contentus studio licet suffi-  
cientissimo ad omne id executioni man-  
dandum, quidquid sibi proposuerat, ac-  
curatissimam Vitarum SS. Patrum noti-  
tiam comparare sibi voluit, quorû exem-  
pla, ceu speculum quoddam, eadem ad  
imitandum, quantum quidem suæ vires  
essent admissuræ, suos ob oculos posuit.  
Post hæc omnia probè circumspiciens, &  
mente perpendens *locum* ipsum non esse,  
qui homini salutem conferat, è *Cælo* etiam  
Luciferum in infernum Chaos præcipi-  
tem

tem dejectum fuisse: Lothum in civitate sanctitatem conservasse, in monte vero peccato se turpiter contaminasse: in Academiâ Noëtica reprobum inventum fuisse, in domo Isaaci Esauum odio habitum fuisse, composuit, disposuitque suum animum ad rigidam & exactam observantiam, quidquid scriptum reperisset. In Canonicali præterea Claustro quasdam sibi eremos atque deserta repræsentavit, in quibus humilitati, pœnitentiæ ac zelum honoris Divini magis addictos, quorum singulariter Historiarum Scriptores meminissent, imitari conabatur, ita ut oculis nostris [ qui superficiem tantum spectabant, non penetrantes, quid in sui corda secreto gereret ] visus fuerit, sancta quaedam æmulatione cum magis solitariis sensum suum, mundi que expugnatoribus certasse. Sed quoniam ab obedientiâ impediebatur, quominus propriæ voluntati quoad rigorem, & eremi solitudinem satisfacere posset, persuasit sibi, eandem ce quoddam instrumentum se adhibiturum earum afflictionum, quas in propriæ vo-

lun

luntatis abnegatione subibat, quæve magnitudini voluntariarum macerationum comparari possent, ita tamen, ut in his quoque exercitaretur iis modis, qui ipsi concederentur, vel saltem non prohiberentur: quandoquidem voluntati eremum amanti omnis locus pro solitudine, & eremo deservit.

Visu dignum erat, sed creditu planè difficile, quod aliquis juvenis tanto cum vigore subiret onus, quod omnium simul mortalium humeris debilitandis sufficiens foret, qui sine singulari DEI gratiâ illi vel unicò momentò sustinendo succollarent: si dierum paucorum adversitas aliquem perterrefacere videatur, quid non faceret quinquaginta & amplius annos perdurans? Alberti siquidem vita perpetua quædam pugna fuit, imò continuum quoddam ac rigidum satis martyrium; & qualis aliquando vita eius vitæ similis fuit? Propriam voluntatem amore dulcissimi sui JESU alterius subiicere voluntati: vestimentis non deficientibus gelu rigescere: in ciborum, & panis abundan-  
tia

tia fame tantum non perire: somno se privare: ob compassionem calamitatum aliorum miserumque animarum eorundem statum sentire, proprium cor nimio dolore sibi transfigi: an non hæc contrariorum vicissitudo angores & ærumnas multiplicabat, quæ sanè tanto productior erat, quòd non nisi cum eius vitæ suum finem sortita sit: & quænam vires sustinendo pares fuissent nisi Divino amore corroborata?

Præter votorum observationem primo loco illi in Regulâ occurrit Dilectio Dei & proximi. Verum cum hac dilectione cor eius, ceu fornax ardens jam pridem æstualet, quod amplius adjungeret, non habuit, quàm ut firmum ac constans decretum formaret adversa quævis pro Dei amore tolerandi, omni alio fine excluso hoc est, non propter humanum aliquod commodum: non ut laudem inde, hominumque favorem referret: non ob inferni terrorem: non ob paradisi præmium, sed ob solum JESU CHRISTI amorem, ut aliquousque illi responderet amanti, quem nobis in ligno Crucis pro-

nostra salute demonstravit. Et tunc tanta charitate cor & animam suam, cum corde animaque suorum Canonicorum conjunxit, ut unâ solùm anima & uno omnium corde DEUS laudaretur & benediceretur, eique supplicaretur ac servireretur, ut nec infernus suffecerit cuicunque inter illos separationi invehendæ: immo transformatus in omnes, omnium omnium consolatione gaudebat, nec non eorum laboribus atq; afflictionibus amarissimè cruciabatur, in omnem semper intentus occasionem, quâ ipsis quâ suis orationibus, quâ opere ipso succurreret.

## CAPUT IX.

*Demon Albertum visibili formâ  
aggreditur.*

**D**Um Albertus in dies se perficere fatagebat, non dormiebat invidus tentator, sed subtilissima, atque implicatissima artis infernalis subsidiô texebat retia, quibus incautæ animæ sensuum illecebris addictæ facilè irretiri solent: ve-

E

rùm

rùm cum ante vigilantes oculos frustra tendantur retia, eadem Albertus à longè animadvertens probè scivit, quì evadere nec enim sensualium is voluptatum semper tam decurrebat, nec eò se unquam transferri permittebat, ubi tartareus venator eum opperiebatur; sed cum DEI Spiritum illum venaretur, Christi Passionis vestigia insecutus in cœlestis venatoris retia incurrebat. Nihilominus cum fraude astuto serpenti non deessent, multò minus easdem adhibendi voluntate deficeret, videns clandestinis machinis se nihil efficere, ad manifestos & apertos dolos recurrit, à persuasionibus ac tentationibus ad terrores, ab insidiis ad assultus.

Consuetum erat pio juxta, ac generoso Athletæ intempesta nocte è strato se proripere, ut suis spiritualibus vacaret exercitiis, & quoniam profundis precibus templum elegisset tanquam suorum certaminum agonem, atque locum magis securum, utpote DEI habitationem, & domum orationis, curam pulsandi campanam ad Matutinum omni nocte in se suscipere

me

mebat. Hac hostis infernalis usus occasione eum nunc in campanili, nunc ipsis in scalis admodum angustis, & ob varios mæandros ascensu difficilibus, solum & de nocte præstolabatur, sperans illum loci commoditate, inque solitudine, & tenebrarum horrore ita posse perterrefacere, ut à laudabili opere desisteret, in variis, iisque horribilibus & monstrosis formis ipsi apparebat. Ubi DEI Servus fide plenus, corde intrepido generosè illi occurrens, *Milites Christi*, aiebat, *larvas, & umbras non metuunt: virtute signi sancte Crucis aufugite phantasmata orcina, & aliò cum vestro inferno, qui vos semper comitatur, vos conferte; recedite hinc, & Angelici splendoris formas, in tam infames, & bestiales transmutatas alibi visendas exhibete.*

Magna profectò DEI Servorum virtus est, dum unus homo infernum confundit, & signo Crucis inimicum subigit tantis pollentem à naturâ viribus, ut mundum subvertere posset. Fugiebant caco-dæmones furibundi, & in rabiem acti,

E 2

DEI

DEI Servum, quantum ipsis permissum erat, offendentes in visu horridis igne flammisque apparitionibus: in auribus tumultu strepituque, horrore pleno: & in naribus intolerabili foetore. Hæc tamen Albertus omnia ridebat, & gratias DEO referens mirabiliter confortabatur.

## CAPUT X.

*Ad pulsandum Organum in S. Bartholomæi Ecclesiâ destinatur.*

ALbertus in hac Religiosa Palæstra gradum altiorem adeptus, jamque Tirocinii vinculis absolutus pulsando Organo ab obedientia fuit applicatus; quod etiam munus absque alia tergiversatione acceptavit, spe nixus, quidquid obedientia injungeret, ampliorem DEO serviendi occasionem sibi conferre debere; eaque propter omnem in eodem ritè obeundo industriam collocavit. Credi non potest, quanta devotione id officii exequeretur: quamquam Conditorem suum ab universis creaturis benedictum angelico hoc exer-

exercitio laudare sibi videretur indignus; hinc cum re ipsa pulsans Organum hac consideratione occuparetur, sancto quodam ardore inflammabatur, præsertim quando sub sacra Lyturgia ad Hymnum Angelicum illud pulsare debebat, ubi cum ipsismet Angelicarum Mentium Choris Christi Nativitatem annuntiare sibi videbatur. Et ipsa SS. Natalis nocte, quando sibi Christum in præsepio jacentem, se verò cum pastoribus eundem adorantem, & cum Angelis annuntiantem imaginabatur, oculi lacrymis affectuosissimis uberrimè manabant: & quis scit, an non Optimus DEUS eum subinde aliqua tanti prodigii visione consolatus fuerit? Ad me quod attinet, si magnam DEI benignitatem in suorum Dilectorum consolatione, nec non incomparabilem huius Servi sui devotionem perpendo, minimè errare me credo, dum piè mihi persuadeo, quòd huiusmodi gratis & fortè amplioribus ipsum dignatus fuerit.

Perseveravit itaque Albertus in hoc Organi pulsandi munere usque dum in cæ-

E 3

lum

lum ad audiendam cœlestem harmoniam receptus fuit. Tametsi in ipso postrema vitæ suæ annis defectus in auditu plurimum accreverit, nunquam tamen hoc officio liberatus fuit, ultiores circa auctam suam infirmitatem cogitationes Superiorum, providentiæ relinquens, nec aliud animo versans, quàm qui obediret.

## CAPUT XI.

*Albertus Sacerdotio initiatus qualem ad Sacrum peragendum adhibuerit præparationem, & quâ devotione illud celebrârit.*

**P**erveniens Albertus ad tam sublimem perfectionis gradum, ut ceu lucerna lucens non diutiùs occultandus, sed supra candelabrum ad illustrandam DEI domum ponendus esset, ad supremum Sacerdotii gradum vocatus fuit; qui verò ad hunc statum accesserit, meum non erit edicere, ne in mare quoddam ingressus exitum inde non amplius reperire queam. Itaque considerans ipse, tantam esse Sa-

cer-

cerdotis dignitatem, ut quacunque alia dignitate sit sublimior: ad hæc etiam videns, præcipitium ac casum suum, si DEUS ab se offenderetur, non minus grandem fore, dignitatem quidem extollebat, de lapsu tamen plurimum sibi metuebat, quòd nullam inveniret proportionem gaudium inter, quòd tam sublimi gradu insigniretur, atque dolorem, si propria culpa indignus eodem fieret: quare totus tremebundus in propriæ fragilitatis consideratione, eidem amplectendo consentire non audebat: denique verò obedientiâ ad Sacerdotium suscipiendum urgente inter Altaris Ministros, DEI Operarios, & Spiritûs sancti Oracula, atque Intercessores apud Divinam Misericordiam pro peccatis aliorum adnumerari se permisit: sed postea perpendens, quòd idem, qui antea, homo maneret iisdem circumdatus miseriis, & nihilominus tractandum haberet cœleste negotium, vivere vitam angelicam Sacerdoti convenientem studebat, quo in studio tam fe-

dulus fuit & industrius, ut in eodem reli-  
quos vitæ suæ annos consumpserit.

At verò quantâ devotione, & gravitate  
Divinis operaretur, is dicat, cui animus  
est, opera DEI mirabilia in eius prima  
admissionis amicis recensere: illud ego  
simpliciter referam, quod meismet oculis,  
ne hoc singulare prætermittatur, vidi, ni-  
mirum eius Lyurgias infinitam assisten-  
tibus consolationem conciliavisse.

Cùm itaque ad tremendum Sacrifici-  
um accedere deberet, [quod quidem nul-  
lo non die pro vivis atque defunctis fa-  
ciebat] eius præparaciones omnem exce-  
debant fidem, nam præsertim quòd prius  
majorem noctis partem in oratione, con-  
templatione, aliisque spiritualibus exerci-  
tiis exegerit, ad hæc etiam omnem decli-  
nârit occasionem tractandi vel collo-  
quendi cum alio quocunque, excepto ta-  
men conscientiaæ arbitro, si se reconcilia-  
re volebat, considerans ingentem charita-  
tis vim, quam DEUS hominibus, qui sunt  
*opus manuum eius*, exhibuit, quando Fi-  
lium suum Unigenitum carnem huma-  
nam

nam assumere, & in Crucis ligno, ut ex  
infernī faucibus eriperentur, affigi, insu-  
per etiam eandem ipsis in cibum, sangui-  
nem verò in potum ministrari voluit, ut  
manentes ipsi in DEO, & DEUS in ipsis  
eius gloriæ participes fierent: ulterius  
etiam secum reputans, se ab eademmet  
Divina Bonitate sublimis adeo mysterii  
Ministrum electum esse, ut DEI Filium  
Hominem factum tractaret, eundem ocu-  
lis fidei sub panis ac vini speciebus con-  
templaretur, cor, animaque sua habita-  
culum sui Creatoris fieret, in tantæ devo-  
tionis extasin intrabat, ut parùm abesset,  
quin ab se seipso abalienaretur.

In ipso Canonis initio totus quasi im-  
mutari incipiebat, facie exhilarescebat, &  
non sine difficultate oculos versùs Librum  
Missalis convertebat, illos ante Confe-  
rationem repetito identidem, velocissi-  
mòque motu unà cum oculis mentis in  
cælum attollendo, post Consecrationem  
autem eosdem ab Immaculato Agno in-  
tra sacram Hostiam abscondito nunquam  
subtrahendo: eam tam eximiâ pietate  
E s aspi-

aspiciebat, ut planè resolvi & liquefieret præ amore, & reverentia videretur: tanto quoque cum decòre ministerium istud exequebatur, ut tametsi longiùs nonnihil illud protraheret, nihilominus præsentibus planè admirabundi assisterent, nec aliquando adverterent, quasi nonnihil tardius cunctaretur; quinimò, quòd ipsius oculi lacrymis innatarent, vox languens aliquantum intercideret, facies pallefceret, genua pededentim curvarentur, interrupta subinde audirentur suspiria, corporis habitus, omniumque membrorum motus admodùm decorus, & ad devotionem compositus esset, cùmque pectus tunderet, suam indignitatem in supremam Majestate intra suæ domicilium animam excipiendam confessurus, maximam compunctionem priorum consideratione defectuum, nec non demissam adeò reverentiam ob sui præsentiam Salvatoris monstraret, ut occulta quadam vi circumstantes obstupescerent intra seipsum quasi jubilare viderentur, non longam, sed brevissimam Alberti Missam censerent.

licet præsentium pars major proprio manuum labore victitaret, [quales plerumque sunt illi, qui primo Sacro interfunt nullo non die ab eodem in Ecclesia dicto] nihilominus arbitrabantur se in eo audiendo non jacturam, sed temporis lucrum facere, ceu id esset cæteris brevius, devotius, atque majorem consolationem adferret.

Miranda non pauca recensentur, quæ sub Sacrificiis magni istius Sacerdotis occurrere: veluti lacrymarum quoddam profluvium, dum Passionem legebat, difficulter admodum sistendum: quod postmodum in Consecratione denuo prorumpens in circumstantium corda se se diffundebat, è quibus licet quolibet caute aut adamante durioribus copiosam lacrymarum venam proliciebat. Hæc & plura id genus alia referuntur, quæ tametsi à me ceu verissima credantur, nihilominus quia ab aliis, fide etsi non omnino indignis accepi, silentio involvere volui illud solum scripturus, quod sæpius non sine mea singulari consolatione mihi experiri licuit.

CA.

## CAPUT XII.

*Albertus Voto Paupertatis, ac vitæ  
communi impensè studet.*

**A**lbertus de virtute in virtutem velo-  
cissimè progrediens satagebat ad  
viæ suæ metam pertingere, cuius necdum  
medium attigerat. Utque verò in hac viâ  
spinis commoditatum hujus mundi non  
retarderetur, animadvertens, quòd pri-  
mum & substantiale Regulæ Canonicae  
punctum, *vivere nimirum in communi*  
pertinens ad vota convenientissimum sit  
ad easdem radicitus evellendas remedi-  
um, tanto id complexus est affectu, tam-  
que altum cordi suo Divinæ gratiæ scal-  
pro impressit, ut usque in suæ vitæ finem  
in eodem conservaretur, longè melius,  
quam si nitidissimo adamanti quæcunque  
figura incisa fuisset. Ubi non solum recu-  
savit rem aliquam habere propriam, sed  
etiam sibi persuasum habuit, quòd multo  
facilius istud præceptum observaturus es-

fer,

set, si etiam in communi voluntatum re-  
posuisset quodvis mente cogitatum occu-  
patumque jus ad ea, quæ sibi in ordine ad  
victum, atque vestitum necessaria erant,  
quàm si, non dicam, ea sibi procurasset,  
sed quovis alio licito modo ad eadem ani-  
mum adjecisset: hinc se integrè discre-  
tioni Superioris permisit, ab eo tanquam  
à DEI manu suarum necessitatum supple-  
ri sibi defectum expectans. Et si aliquan-  
do necessitate coactus vestitum flagitasset,  
ne nimix in seipsum sævitici reus agere-  
tur, vel ne, si nimium sordidis ac laceris  
vestimentis opertus incederet, suo silen-  
tio ansam illi præberet criminandi, cui re-  
rum eiusmodi procurandarum cura in-  
cumbebat, id eâ verborum brevitate ac  
simplicitate faciebat, ut nihil ultra nudam  
necessitatis memoriam intimaret, & ab ea  
hora, ac si, quidquid opus habebat, sub-  
ministratum fuisset, nihil de eo cogitabat  
amplius, sibi persuadens, quòd vestem il-  
lam accipere vel non accipere citius vel  
tardius Divinæ voluntatis pro majore suo  
bo-

bo-

bono effectus esset. Et si alius subinde  
 dens illum aliquo afflictum incommo-  
 vices ipsius miseraretur, tali sereno vultu  
 respondebat: *O! quot sunt Christi paup-  
 res me longè meliores, si tam bene, ac ego,  
 sent accommodati, prorsus contenti forent  
 qui tamen modo ob rerum necessariorum de-  
 fectum oculis Christianorum omnibus huius  
 mundi commodis, bonisque affluentium tri-  
 ste spectaculum exhibent.*

### CAPUT XIII.

#### *Alberti Charitas erga Pauperes.*

**I**Nter alia dicta in materia paupertatis  
 illud S. P. AUGUSTINI Alberto perquam  
 erat familiare, quòd Paupertas in omni  
 Philosophia nostra sit *Magistra*, illique  
 conveniat reverentia, quæ aliis Magistra  
 debetur, quinimò tanto major, quanto  
 brevior, ac securior via nos in cælum  
 deducit. Ista, aiebat, Josephum è carcere  
 ereptum Ægypti Procuratorem constitu-  
 tuit, ac frumenti dispensatorem: ab hoc  
 Lazarus ulceribus plenus à crudelis & in-  
 hu-

humani divitis palatio in sinum Abrahæ abstractus fuit.

Quoniam verò pauperes nostras inter culpas, Divinamque Justitiam Mediatōres sunt, tanta ergo illos teneritudine afficiebatur, ut, si vel unum pauperculum aliquid pati videret, ex nimia commiseratione in alienæ calamitatis partem venire videretur: undique præterea occupatus à charitate tantopere pauperum miseriis commovebatur, ut, si à quopiam propter DEUM stipem rogaretur, incredibili promptitudine parùm illud largiretur, quod foriè ad manus erat, si deesset aliud, quo subveniret: atque idcirco illius charitas ita ubique divulgabatur, ut pauperum refugium esse censeretur, eorum præsertim, quos pudor absterrebat publicè ad ædium fores stipem emendicare. Unde temporis successu dilatante se famâ operis DEO adeò grati, nec non aliarum eius eximiarum virtutum, non fuit in tota civitate, illiusque confinio domus, in qua non Alberti nomen resonaret: & pauci de afflictorum numero reperiebantur,

tur,

tur, qui non illius ad preces spes suas dirigerent: quorum haud pauci, alique eius nomini devoti cum fuissent experti, quod aurum & argentum tanquam vilissimum terræ lutum æstimaret, quòdque pecunias quocunque sub titulo oblatas magno recusaret animo, novam adinvènere rationem, quatenus eleëmofynas acceptaret ab eorum pietate subministratas, dum mirum easdem illi submitterent eo sub obtentu, ut ipsemet pauperibus illas ad suum libitum erogaret.

Non videbatur DEI Servo rejiciendum istud consilium, præsertim, quòd in commodum Christi pauperum id cederet. Verum diabolicas metuens insidias, ut easdem declinaret, negotium hoc cum Superioribus contulit, qui eodem approbato benignam illi licentiam concesserunt, ut eiusmodi eleëmofynas acceptaret, & secundum piam offerentium intentionem dispensaret.

Tantum ergo pecuniarum capiebat quantum afferebatur, &, cum nec signum pecuniæ impressi, nec etiam metalli, num

improbum vel probatum esset, cognitionem haberet, nisi forte æra minutiora agnoverit, ex colore aurum ab argento, nec non a magnitudine valorem minoris à maiore moneta discernebat: si proinde aureum aliquando, vel argenteum nummum formæ grandioris, quique ponderosior esset, acciperet, quamprimum eiusmodi pecuniam commutari minore sorte curabat, hoc pacto majori egenorum numero satisfacturus: inde factum, ut ab illis, qui eius fidei eleëmofynam concrederent, in moneta minore eandem reciperet.

Ne verò isthac charitate à consuetis pietatis impediretur exercitiis, partem eleëmofynarum alterius manu dispensari curabat, alteram propriis ipse manibus distribuere. Fuit hæc eleëmofynarum elargitio magnæ, quo inter cæteros egestate oppressos, etiam puerulos rationis necdum omnino capaces ad se pertraherebat, qui ab ipso divelli se non sinebant, donec stipe donati essent: & ab his certis temporibus, quibus in templo mora-

F

ba-

batur, tanquam à quadam Angelorum, à quibus ad divinas laudes invitaretur, coronâ circumdatus erat: quod ego contuitus mirum in modum nonnunquam recreabar, comparatione puritatis istorum puerulorum cum puritate fidelis huius eleëmofynarii institutâ: quod si parvulis ab ætate erat denegata malitia, Alberto puritas cordis tot à Divina gratia laboribus impetrata quandam animo meo confidentiam addebat, ut mihi persuaderem, illum puritate & innocentia eisdem nequicquam inferiorem esse.

Quis enim verò non fuisset gavisus, si aspexisset simul certare puritatem tot innocentium parvulorum cum charitate Altissimi huius DEI Servi, industriam illorum mendicitatem cum affectuosa huius benedicti eleëmofynarum Dispensatoris commiseratione? DEUM percresbrò collaudavi, quando contigit, ut quosdam istorum puerulorum accepta ab Alberto stipe claudos se fingere, alios se oculis orbatos vel membris captos simulare, vel etiam vestes, ne agnoscerentur, in-

invertere, sic denuo eleemosyna ab eo donandos viderem. Hinc summopere aliquando admiratus, nescio, qua inductus curiositate illum fui allocutus: *Pater, aiebam, an non animadvertit R. tia V. ra ab hisce pueris imponi sibi: tum ipse ad me, qui id fieri posset? qui? subjunxi, conjiciat, quæso, oculos in illum claudum, & in cæcum illum, istis paullo ante omni incolumitate gaudentibus, iisq; quos modo præ se ferunt defectibus, prorsus exemptis, stipem erogavit. & hoc modo omnium ipsi fraudes detexi.*

Ad quæ tamen ipse reposuit, *an ne hæc parvulorum gesta fraudes nuncuparem? Absit hoc! O nos beatos! si magnitudinem beneficii à DEO in rerum omnium abundantia nobis concessi agnosceremus, debitas utique grates eidem referremus, cum non desit nobis, quod ab aliis emendicemus, veluti hi parvuli faciunt, quos non mabitia fingere docet alios, quàm quales re ipsa sunt, utpotè nondum eiusdem capaces: at benè necessitas, quæ ætatem necdum ad lucrandum panem idoneam supplet, conjuncta cum naturâ famem eos fugere docet ipsiusmet vitæ de-*

*struētricem, & illa sibi providere, quæ eidem sustentanda conducunt: si statim iniussisset ipsis exhibitum, quantum presentis necessitati sufficeret, ab utraque vitæ Magistraturâ & necessitate, quæ sunt pauperum contenta, minimè ipsis suggesta fuisset majoris lucri inventio, qualis ista foret. Ne hæc pia fuit excusatio ab illius cordis sinceritate profecta, quòd seipsum tantum nunquam alterum sciverit accusare.*

## CAPUT XIV.

*Circumstantiæ stipis cuidam pauperi erogatæ.*

**C**haritas tam altas in piissimi eleëmōsynarii corde radices fixerat, ut cedris Libani fœcundior effecta nunquam non suavissimos affectuum piissimorum flores produceret, quorum odore Christi pauperes attracti adventitabant pretiosè se se fructibus recreaturi, quos ipsius liberalissimæ manus impertiebantur. Ubi temporis longævitate occasionem habuit multa edendi exempla singularis fuit

charitatis: inter quæ unum ob circumstantias, quæ id comitantur, minimè hoc loco indignum erit.

Forte Albertus à Canonix S. Bartholomæi Oecono-  
 mo novum par crepidarum  
 acceperat, cum ecce eodem ipso quasi  
 momento pauperculus adest, stipemque  
 rogat: is cum Alberto videretur magnâ  
 indigentia oppressus, nihil hic cunctatus,  
 cum quod daret, ad manus aliud non ef-  
 fet, par illud novarum solearum, veteri-  
 bus sibi reservatis mendico porrexit. Eo-  
 dem ipso verò die ut Oeconomus pium  
 Eleëmofynarium aspexit non nisi veteri-  
 bus soleatum, fuit ex eo percontatus, ec-  
 quid novis non uteretur? Hic aliud non  
 habens, quod excusationis ergò profer-  
 ret, veritatem ingenuè fassus respondit,  
 se novas soleas cuidam pauperculo locò  
 stipis cessisse. altero verò instante, meliùs  
 ipsum facturum fuisse, si retentis novis  
 veteres pro eleëmofyna expendisset, hoc  
 dignum memoratu responsum subjunxit,  
*Minimè, aiebat, conveniens est, ut J E S U*

*CHRISTO donentur ea, quæ usui non am-*

F 3.

*plius.*

plius sunt apta, cum tamen ab illo, quidquam  
 boni in hac vita habemus, accipiamus, & in  
 super futura in cælo bona expectemus: men-  
 dicum illum *JE SUM CHRISTUM* repræ-  
 sentasse, cui, quod crepida attrita prorsus  
 essent inutiles, se ipsi novas dedisse. Hoc  
 Alberti responsum demiratus Oecon-  
 omus alterum ab eo ipso futore, qui prius  
 confecerat, solearum par illi comparat.  
 is autem id ipsum exhibens, se à quodam  
 mendico illud coëmisse subiecit. Mox  
 Oeconomus has soleas Alberto retulit, &  
 ob nimiam facilitatem eum coarguens  
 adjunxit, quod istas soleas non Christo, sed  
 homini vagabundo impertitus fuisset, cau-  
 tior proin in elargienda eleëmofyna deinceps  
 esset: Acceptavit hilari animo humilis  
 DEI Servus admonitionem, eo tamen,  
 quo intus succensus erat, charitatis ardo-  
 re stimulus subdidit: Pater, si hujusmodi  
 cautelas stipem comitari necesse esset, quibus  
 tamen Christus eam alligari noluit, paupe-  
 rie oppressi brevi fame interirent, quare si-  
 dem ea alterius habens necessitati nil aliud  
 curat, nec aliud querit, quam ut iis subve-

niat: ubi si error intervenit, ipsi imputabitur, qui malo animo eandem recipit, non autem illi, qui simpliciter donat. Unde elemosynabinos fructus conjunctos habet, unum pro accipiente, qui est temporarius, alterum pro erogante, & est spiritualis, qui nunquam perditur. Et si pauperculus iste stipem vendidit à me acceptam, sine dubio eos nummos in majore alia magisque urgente necessitate adhibebit. Si D. Martinus simili cautela fuisset usus, cum suæ vestis medietatem nudo egenti tribuit, quam Christus per ipsum petiit, minimè meritus fuisset audire vocem Christi testificantis, quòd in persona pauperis Ambianensis vestis medietate à fidei servo suo Martino contactus fuerit. Paupertas notam fronti impressam non gerit, qua à vagabundorum distinguatur malitia; & si impressam gerit, eam tamen ego non discerno: bene tamen signum portat meriti, quod elemosynam acceptam consequitur, à DEO ipsè concessi in compensationem modici, quod eius amore ad restaurandas proprias misérias recipit, & hoc ego cognosco, unde pro amore DEI, qui est mea merces desiderata, eas soleas.

*leas elargitus sum, me ipsum quoque, si deessent alia, & manus ab Obedientia non ligarentur expensurus, nec enim discerno, quis sit, qui sub hoc vel illo habitu à me stipem flagitat, an Christus ipse, vel alius eius nomine petens.*

Facies piissimi Eleëmofynarii flammis charitatis exardescebat, Oeconomus autem attonitus & admirans in eum contuebatur, & hac persuasus responsione, quidquid fecerat, ratum habebat, nec factiatus DEUM idcirco magnificare, totam insuper rei seriem Abbati retulit, qui perlibenter Albertum in concessa largienda stipis libertate reliquit, quod ipsi grave non esset, ipsius arbitrio committere, quidquid pro DEI amore expenderet, sperans hoc pacto res istius Canonix nunquam non augendas, quod & felix rerum omnium successus usque ad extremam eius vitæ horam demonstravit.



## CAPUT XV.

*Ministrat Infirmis, eosque solatur.*

CUM Charitati ceu plantæ Divinæ à cœlesti hortulano omnes aliæ Christianæ virtutes sint insitæ, quisquis eâdem ornatur, necesse est, ut & reliquis omnibus emineat. Hinc Albertus ceu possessor cœlestis hujus thesauri apud omnes in magna veneratione erat, idque non absque ratione: propriis enim subtrahere commodis tempus, & illud alterius obsequio mancipare, ad hæc aliis propriæ vitæ necessaria tribuere, & hoc non alium in finem, nisi ut DEO placeat, res est non ita facilis conditioni humanæ, nimium quantum propriis commodis addictæ. Unde in Divinis ac profanis Historiis non absque insigni encomio homines, qui tantæ perfectionis gradum assecuti sunt, celebrantur tanquam Angeli in aliorum utilitatem à cœlo submissi. Quos inter Samaritanus ab ipsomet Servatore nostro laudibus extolli pro merito est, quòd tempus insumpserit, manus applicuerit, num-

F 5 mos

mos expenderit in gratiam peregrini ite  
facientis à latronibus vulnerati, cum ta  
men eum præterire, quemadmodum al  
fecêre, & suum continuando iter, in pro  
prias necessitates pecuniam reservare po  
tuisset.

Quam doctrinam egregiè callens Al  
bertus minimè contentus pro DEO dare  
quidquid erat in sua potestate, illud infu  
per tempus in proximi servitium expen  
dit, quod summâ cum spiritûs sui conso  
latione Divinis contemplationibus im  
pendere solebat. Siquidem instar illius  
Samaritani videns quempiam suæ Cano  
nicæ ob sinistram valetudinem lecto affi  
xum, nescius unde fuisset fauciatus, an à  
naturâ solum, vel simul à peccato, chris  
tianè ac piè illius infirmitatē ad miseri  
cordiam commotus omne studium ad  
eius curam conferebat: die noctûque,  
exigente necessitate, illi assistebat, pro  
priis eum manibus juvabat, nullo vilissi  
morum etiam obsequiorum, quæ identi  
dem infirmis exhiberi necesse est, horrore  
concepto: ad hæc charitatem hanc cor  
po

poralem mira quædam verborum suavitas comitabatur, nec non tanta in vultu serenitas, ut ipse infirmus mirum in modum recrearetur: & hanc charitatem promiscuè erga quosvis exercebat, nisi tamen alicubi majorem esse necessitatem cognosceret, ubi tum majorem diligentiam atque laborem adhibebat. Verùm quod ad animæ salutem perinet, quidquid agebat, quidquid dicebat, planè singulare juxta ac grande erat, idque tale, ut id integrè exprimendi animus mihi deficiat: cùm quidquid ab eius benedicto ore prodibat, non tam labore, ac studio partum, quàm à sancto Spiritu dictatum videretur. Erat cæteroqui linguâ satis tardus, quemadmodum in iis fieri amat, qui consideratè in suis ratiocinationibus procedunt: in istiusmodi tamen occasionibus, si pro animæ utilitate loquendum erat, linguam habebat expeditissimam, & quem mente gerebat conceptum, tanta vi & eloquentia promebat, ut mirabili modo, quidquid vellet, in aliorum imprimeret animos.

In-

Incipiebat magna cum humanitate (aliqui  
lari suum infirmum, eique persuadere, in co  
patientiam comite eam infirmitatem pro  
DEI amore toleraret, utilitatem exinde  
promanaturam optimis auctoritatibus, &  
argumentis ob oculos illi ponens. Si de  
existimaret, quod cor illud suis adhorta  
tionibus præparasset, dexterrimè ad de  
testationem peccati, inde ab hujus turpi  
tudine ad pœnas purgatorii & inferni pec  
catoribus subeundas progrediebatur tan  
to cum horrore representatas, ut infir  
mus perterrefactus ad ineundam accura  
tissimam peccatorum exomologesin, &  
ad peccata sua deslenda facili negotio per  
suaderetur. Id cum obtinuit, quod in  
primis urgebat, in uno eum momento  
ab hisce molestis angoribus ad paradisi  
gloriam sublevabat, tantaque fiducia re  
plebat, ut infirmo videretur, cœlum  
apertum, nec non Angelos in occursum  
sibi venientes aspicere. Verbis suis cert  
cum securitate quandam attribuit effica  
citatem frontis serenitate, suavitate, to  
tiusque motu personæ comitatam, ita  
al

aliquis autumare posset, quòd infirmum in cœlum comitari vellet, quasi unus, qui jam prius in eodem fuisset.

Hunc in statum ubi infirmum perduxit, tunc eum in spe paradiso frui sinebat: quem etiam, si ex ea infirmitate ipsi moriendum esset sæpius revisebat ad sanctissima Sacramenta percipienda cohortaturus, loquens de iis secundum infirmi qualitatem & necessitatem. Verùm quòd à natura hebetioris esset auditus, adeoque, quæ infirmus proponebat, vel respondebat, difficulter caperet, minùs erat idoneus ad eidem omni ex parte, quemadmodum tunc desiderari poterat, satisfaciendum: hinc contentus generali quadam exhortatione atq; consolatione suis illum orationibus, ad perferendos morbi, mortisque dolores, nec non ad incertum alioqui, difficilem ac tremendum ab hac in alteram vitam transitum faciendum adjuvabat: neque etiam ab eo recedebat, donec is suum Creatori spiritum reddidisset. Atque tunc sanctâ quadam inductus invidia beatum nominabat, quòd

ex

ex istius mundi laboribus ad æternam  
Beatorum felicitatem migraverit: & ceu  
sibi nimio addictus affectu, quantum erat  
licitum, de longo dolorosæ huius vitæ in-  
colatu conquerebatur.

## CAPUT XVI.

### *Exercet Hospitalitatem.*

**I**Nter omnes virtutes Divinæ Majestati  
magis acceptas vel maximè Hospitali-  
tas in sacris Litteris semper commendata  
fuit, utpote cui Angelorum, quin ipsius-  
met DEI præsentia identidem in præmi-  
um cessisset; quod quidem adeo Alberto  
nostro perspectum fuit, ut non dubitaret,  
quin nonnunquam Abrahamum adduce-  
ret, quòd ob hospitalitatem erga tres, uti  
credebat, peregrinos exercitam in Sanctif-  
simæ Triados notitiam pervenerit; præ-  
terea dicebat, Lothum ac Tobiam ob An-  
gelos hospitio exceptos, illum ab incen-  
dio, hunc ab oculorum cæcitate libera-  
tum fuisse; Martham & Magdalenam  
ob receptum suas in ædes nostrum Serva-

nam  
ceu  
erat  
e in-  
—  
tati  
rali-  
lata  
ius-  
mi-  
erto  
rer,  
ice-  
uti  
ctif-  
ra-  
An-  
en-  
era-  
am  
va-  
to-  
torem Lazari è mortuis refuscitationem  
meruisse. Hinc DEI succensus amore,  
eum quocunque modo posset suam intra  
domum recipere desiderabat: verum  
cum ipsi hanc hospitalitatis virtutem su-  
um ad votum exercere permissum non  
esset, nihilominus meliore, quo poterat,  
modo eandem exercitabat. Siquidem si  
exteri peregrini in domo S. Bartholomæi  
comparebant, sive dein ejusdem secum  
Religionis essent, vel alterius Ordinis, ha-  
bitusque Religiosi, magno charitatis affe-  
ctu eos complectebatur, non dedignatus  
eosdem, si equites advenissent, & necessi-  
tas exigeret, instar cujusdam famuli de-  
scensum ex equo molientes adjuvare,  
quin etiam illorum sarcinis assumptis eos  
in conclavia comitabatur, semper sibi vi-  
sus in eorundem personis diversorio ex-  
cipere Christum ipsum, vel aliquem An-  
gelum è Paradiso advenientem, veluti D.  
Gregorio scribitur accidisse, verbis dein  
suavissimis advenas allocutus, brevè se sin-  
gularem DEI Servum agnoscendum præ-  
bebat, hinc in eo considerando satiari  
non

non

non valebant, & certa ex eius vultu gravitate relucente, qua illorum detinebantur oculi, eius præsentia mirificè recreabantur: & licet exercendæ hospitalitatis modica offerretur occasio, eam nihilominus ubi & quodocunque poterat, ad studium usque semper exercitabat.

Manè itaque dicto Sacro persæpè sub obtentu invisendi hospites ad eorum conclavia properabat, si que eos domo exivisse comperisset, essentque aperta cubicula nec aliorum pateret oculis, defectum, vel negligentiam eorum, qui pro advenarum servitio erant deputati, vel si aliàs fuissent impediti, magna curâ supplebat: lectica sua manu sternebat, cubilia everrebat, quoque quovis alio utcunq; vili obsequiorum genere sibi, tum alienæ necessitati satisfaciebat: unde famuli pudore confusi, dubitantes an non ab ipsismet hospitibus præventi fuissent, cum veniam ab illis expectarent in cognitionem demissæ charitatis Alberti veniebant.

Fortè nonnulli è nostratibus ad S. Joannem in Viridario Paduæ Studiosi, tum

in Canonica S. Bartholomæi Vicentiæ ver-  
santes, cum aliquando manè è suis egres-  
si cubiculis per domum circumeuntes va-  
garentur, & è fenestris urbem oppositam,  
& partem Collium Euganeorum tanto-  
perè ab antiquis celebratorum, qui pro-  
spectus est longè amœnissimus, confide-  
rarent, humilis DEI Servus nemine ani-  
madvertente in eorum cubicula penetra-  
vit, cùmque in eorum lectis sternendis oc-  
cuparetur, subitò Studiosos conclavibus  
appropinquantes advertit, unde metuens,  
ne ab illis deprehenderetur, clanculum,  
quantum poterat, ab uno in aliud concla-  
ve contendens eorum se oculis subduce-  
bat. Verum cùm Juvenes sagaces opti-  
mè, quid rerum ab Altissimo ageretur,  
cognovissent, id se animadvertisse dissi-  
mulârunt, inque aliam partem se conver-  
terunt: quo facto humilis DEI Servus  
occasionem naçt<sup>9</sup> est, operam inchoatam  
ad finem perducendi: cuius exempli non-  
nullos eorum tam luculentos habuit ap-  
probatores, ut deinceps mirabiliter in  
exercitio operum charitatis & humilita-

G

tis

tis profecerint. Magnam profectò vim exemplis DEI Servorum in animis juvenilibus inesse oportet!

## CAPUT XVII.

*Nonnulla alia Alberti charitatis corporalis & spiritualis exercitia.*

**F**ornax Charitatis in Alberto semper ardebat desiderio juvandi alios, cum primis autem Sacerdotes DEI Ministros. Quare cum ipse sufferre nequiret incommoda etiam levia Sacerdotum suæ Canonix, sui verò nulla prorsùs commiseratione tangeretur, tametsi plurimùm ultimis præsertim vitæ suæ annis, ab abstinentiis & jejuniis afflictus, ac continuâ quasi vigiliâ maceratus, ut vix linguam in verba laxare posset, voluit nihilominùs sibi ipsi soli onus ad mensam legendi, omnibus ceteroqui commune, imponere, idque quàm diu vixit.

Verùm, quoniam ardens iste charitatis focus nullis restringebatur terminis, in tantum eius se flammæ dilatabant, ut quocunque pius Alberti affectus se circumfer-

ret,

ret, protinùs eundem ipsæ sequerentur: cum mensæ assidens Christi pauperum recordaretur fame languentium, tanta in illos compassione ferebatur, ut majorem tenuis alioqui victus sui partem, quo se se ipsum sustentare debebat, janitori committeret mendicis erogandam. Si quis ipsi propterea compateretur, tali non alio obviabat responso, quam quòd hoc pacto duo bona præstaret, unum pauperibus, quòd modico eo demenso sibi subtracto restaurarentur: alterum sibi, corpori suo superfluum illud denegando, ne ferociret, & adversus spiritum recalcitraret, quippe quòd expertus fuerit, illud meliore freno intra limites contineri non posse, quam fame.

Quemadmodum porrò in seipsum summe austerus fuit, ita aliis admodum se discretum exhibuit: omnium calamitatibus ad misericordiam flectebatur, magnaque promptitudine, ac modestiâ defectus aliorum excusabat, se verò iis asserebat scate- re. Omnes honore, & amore prosequetur, & in seipso omnium infirmitates sen-

riebat, continuas pro eorum salute preces  
 effundens, in quo tam fervidus erat, ut  
 nullo non die lacrymæ comitarentur eius  
 orationes pro quibusvis infirmis & affli-  
 ctis, pro captivis, pro iis, qui in misera in-  
 fidelium servitute tenebantur, singulari-  
 ter tamen pro peccatoribus, præsertim ob-  
 stinatis: & tunc de novo non solum lacry-  
 mis ex oculis defluentibus, sed ex proprio  
 sanguine, ex innocente suo corpore elici-  
 to suas preces longè efficaciores reddebat,  
 sub quibus persæpè & magno cum affectu  
 nec non voce satis clarâ versum illum *Par-  
 ce Redemptis* ex Hymno Festi S. Joannis  
 Baptistæ desumptum repetebat, uti sæpius  
 cùm à me, tam ab aliis auditum fuit. Hinc,  
 cùm ipsi consuetum esset, suam in psallendo,  
 nec non aliis vocalibus precibus de-  
 currendis vocem altiùs elevare, ut seipsum  
 audiret, id minimè advertens, locum da-  
 bat, ut illæ orationes ex ipso resonarent,  
 quæ ex corde tanquam ab arcu vivacis  
 cuiusdam affectus, emissæ sagittæ, in cœ-  
 lum ad pias DEI miserentis aures ferien-  
 das ascendebant.

*Libri I. Finis.*

## VITÆ

EXIMII DEI SERVI

## ALBERTI

DE

ALTISSIMIS,

In Canonica S. BARTHOLOMÆI

Vicentiæ Canonici Regularis Congr:

Lateranensis,

## LIBER II.

## CAPUT I.

*Albertus Magister Tironibus  
præficitur.*

**B**O ipso quasi tempore, quo Albertus sacerdotali caractere fuit insignitus, in Collegio S. Bartholomæi novi Tirocinii dabatur initium, ubi proin opus erat Hortulano, qui novellas plantulas excoleret, suo olim tempore uberrimos fructus edituras. Novus ergo Magister, qui Tirones

G 3

in

in via DEI institueret, eligi debebat, cui muneris omnium unanimi calculo R. P. Albertus fuit adhibitus, præ reliquis ad educandos in DEI timore filios, inque via perfectionis, quæ primus & ultimus Religionis est scopus, deducendos longè aptissimus: in hac cum ipse plurimum profecisset, aliis difficile non esset eum sequi, eosque tribulos ac spinas inoffenso cum illo calcare pede.

Acceptavit curam, etsi admodum ipsi gravem, quòd impediretur ab sua dilecta solitudine, nec consueta pœnitentiæ exercitia, prout in votis habebat, profequi valeret, quamquam ob meritum obedientiæ, obque ardentissimum proximi iuvandi desiderium id oneris non nihil ipsi imminueretur.

Desiderasset Albertus animi quietem, ut rerum cœlestium contemplationi se totum addiceret, ac die noctuque suo Creatori remotis actionum suarum arbitris, aliisve impedimentis servire posset: verum Divinæ dispositioni se non ausus opponere, onus regendi juvenes in se suscepit:

pit: onus inquam, in se perquam grave,  
molestum, atque difficile, si consideretur  
ætas calces adversus omnem jactans di-  
sciplinam, quæ etsi rationis usu fruitur,  
non tamen libenter præcipientis imperio  
se subdit: hinc DEO negotium istud  
commendans Tirones satagebat viam sa-  
lutis docere verbis & exemplo: inediâ  
corpus macerat, orandi studio vacat; fla-  
gellis ad opem parvulo gregi suo feren-  
dam plus solitô in se desævit, studetque  
eum pascere cibus salutiferis, Divinis è lit-  
teris, SS. Doctoribus, nec non legibus, &  
institutis Regularibus desumptis. Quo in  
munere quanto amplius DEO servieba-  
tur, tanto diabolus magis confundebatur,  
qui idcirco eundem tum visibiliter novis  
ac monstrosis apparitionibus, tum invisi-  
biliter ministerio quorundam Tironum  
ab eo instigatorum non cessabat inquie-  
tare. Verùm DEI Servus eius fraudes  
optimè perspectas habens audacter ipsi se  
opponebat, quippe ad eum flocci æsti-  
mandum jam assuetus, atque virtuosa  
quadam tolerantia Novitiis eorum de-

fectus ad defendendum ponebat ob oculos. Siquidem tempus concedere ad pœnitentiam est omnium securissima, laudatissimaque correctio; atque interea dum se ipsum in cella flagellis excipit, Tirones se DEO & Angelis commendabantur, ut ab hostium insidiis immunes conservarentur: ubi nonnulli eorum curiositate ducti ad cellæ januam per rimas explorabantur repetitos, ac altum stridentes ictus flagellorum è durissimis ex cannabe funiculis confectis interstinctis nodis, qui chordis pungentissimis ex ære ductis & è Clavicordio, quos penes se in Cella asservabat, mutuati erant armati: his perforata, lacerataque carne alicui Christi Martyri dixisses similem, manu carnificis jubente Tyrannus flagris cæsi. Si porrò cilicinam eius vestem ex hirsutis equi setis contextam, quæ nudæ & aridæ pelli sub aspero indufio lana contexto injectâ corpus suum perpetuo vestitu contegebat & macerabat, aspexisses, non immeritò antiquis illis eremi incolis, Antonis, Paulis, Hilariionibus eum comparavisses: quæ pœnitentia

penitentiae instrumenta, flagella videlicet, atque cilicia, cum aetate jam grandis esset, inque postremis vitae temporibus constitutus, fuerunt partim dimissa, partim remissa: hunc tamen defectum aliis poenitentibus, nec non Divinae contemplationis fervore supplevit. Felices juvenes, quibus concessum est per hujus saeculi tenebras tanti splendore luminis, & à duce tam prudente ac discreto deduci: sed & beatos postea, si eum etiam imitati fuerunt.

## CAPUT II.

### *Fit Custos Sacrarum.*

**T**irociniò ad finem perducto, & novellis plantulis ad studia translatis, ut expectatos suo tempore fructus proferrent, Albertus Sacrarum Custos designatus fuit; quo deinceps munere, quamdiu pervires licuit, perfunctus fuit: idque eo libentius acceptavit, quòd præter obedientiae meritum occasionem nactus esset secundum suam commoditatem intrandi in Ecclesiam, cuius claves in sua haberet po-

testate, nec primùm ab aliis, quibus oc-  
cultum esse volebat, quidquid in via spiri-  
tuali perageret, easdem emendicare de-  
beret.

Et quoniam eo in munere DEI cultus  
Alberto procurandus erat, nec non Sacer-  
dotibus quoad Chorum & aram necessa-  
ria ministranda, arbitrabatur ipse DEO se  
proximè servire. Tractavit hoc munus  
iunmo semper cum studio, nunquam al-  
terius auxiliares manus expectans, quid-  
quid ipsemet exequi poterat: everrebat  
ipse templum & Sacrarium: ut aræ mun-  
dæ essent, sedulò curabat: æs campanum  
pulsabat; libros, quos vocant, Chorales,  
ut ut grandes essent, & ponderosi tracta-  
bat, ubi aliquando casus accidit, cui & ego  
præsens interfui, iste, etsi paulò ante mor-  
tem ipsius contigerit, huc tamen ob nota-  
biles circumstantias, qui illum comitan-  
tur, collocari meretur.

Volebat aliquando Albertus librum  
prægrandem in pergameno scriptum, ta-  
bulis ligneis coopertum, & laminis æreis  
hinc inde armatum, eaque propter oppi-  
dò

dò gravem, imponere pluteo. Verùm  
quòd ob senium viribus exhaustus esset,  
ac propter perpetuam inedia[m] vix suis  
pedibus insistere posset, cùm librum in al-  
tum levaret, priusquam in pulpito reclina-  
ret, & aperiret, resupinatus nudo eius  
vertici incubuit ictu tam valido, ut nemo  
non ipsius commiseratione tangeretur.  
Interim in bono Patre aliud non animad-  
vertebatur, nisi, quod ob defectum, quem  
se commisisse existimabat, suâ quasi ne-  
gligentiâ id accidisset, sancto quodam  
rubore facies eius tincta fuerit, & alter in-  
terrogans, an ab hoc ictu fuisset offensus,  
datam responsionem, quod unicum illo-  
rum verberum, quæ Servator noster tole-  
ravit, eius ictus longissimè excederet, piè  
demiratus est: is itaque etsi satis gravis  
fuerit, nihilominus eundem aliquantu-  
lum subridens excepit, quod adstantibus  
eo casu non leviter turbatis consolationi  
fuit: ad hæc noluit, ut porro à quoquam  
alio de hoc malo apud ipsum mentio fie-  
ret, nec etiam deinceps ab hoc officio ab-  
stinuit, ab eo quinquaginta propemodum  
an-

an-

annos exercitato, eo semper fine, ut aliter  
se licet juniores ac robustiores eodem  
levaret: nimirum Eximiorum DEI Sa-  
vorum charitas eorundem Magistri cha-  
ritatem impigre imitari studet.

### CAPUT III.

*Albertus parvulos docet.*

**V**erum magna Viri DEI charitas  
quaquam in relatis exercitiis  
subsistebat, quin totus licet in DEUM  
forsutus proximi quoque recordaretur.  
si magnam cum perfectione DEI, Religi-  
onisque præceptorum observationi atten-  
deret, putabat nihilominus, suum ser-  
vitiū esse necdum integrum, nisi & præ-  
cepto charitatis erga proximum adhi-  
impensius daret operam, quod quidem  
non tam in dilectione quadam spirituali  
quam in alio quovis auxilio sive animi  
sive corpori præstito consistere recte ce-  
sebat: sed impeditus quasi à certa illa  
solitaria dulcedine, nec non ab ea cum  
DEO familiaritate, qua ab omni aliâ cu-

liber frui sibi videbatur, allectus, distulit  
tantisper ad pios cogitatus suos in effectū  
deducendos se determinare. Enimverò  
cum DEO placuit, eum ad perfectum  
charitatis statum traducere, oculis ipsius  
pauperes aliquando puerulos obiecit, ab  
Angelis eorum Tutelaribus fortassis ad-  
ductos. Hi prope Albertum in Templo  
vacantem orationi flexis se genibus siste-  
bant, nec non eundem attentè considera-  
bant: quod cum sæpius factitassent, exi-  
stimavit ipse, hos illos esse proximos, quo-  
rum servitio se deberet impendere. Qua-  
re occasione arrepta de eorum miserabili  
informatus conditione, in qua tam in ani-  
ma, quàm corpore naufragari possent, ac-  
cedente Superiorum licentiâ eorundem  
suscepit curam, & eximiâ adeò charitate  
negotium istud aggressus fuit, ut id viden-  
tibus consolationi esset.

Inprimis illos in via DEI, in hujus ti-  
more, & amore, nec non doctrinâ Chri-  
stianâ erudiebat; docebat dein eos lege-  
re, scribere, tradebatque Regulas Gram-  
matices, ac prima Musices rudimenta: ut

que

que charitati non deesset ea perfectio, quæ  
 ipsius è manibus provenire posset, nec  
 etiam necessitas eos ante tempus ipsi sub-  
 duceret, nonnullos magis indigos corpo-  
 rali cibo pascerebat, propriis illis manibus  
 subministrans, quidquid sibi permissum  
 erat, quin etiam suo è vestitu non nihil  
 subtrahebat, quo pauperiores vestiret: ita  
 quidem, ut hi pueri in unâ sola persona  
 agnoscerent, amarent, & honorarent Pa-  
 trem, Matrem ac Magistrũ suum, Deũque  
 que ob tam eximium Benefactorem lau-  
 darent.

Multos annos in hoc exercitio, non  
 contemnendo puerorum istorum fructu  
 insumebat: quorum variis deinceps  
 status amplexi sunt, ubi vis clara de se ac-  
 ceptorum ab hoc Patre beneficiorum spe-  
 cimina edentes. Quam autem ob cau-  
 sam hoc exercitium porrò intermiserit  
 me latet, forsitan vel ob occasionis defe-  
 ctum, vel quod istud exercitium Martha  
 poneret obicem exercitio Magdalensæ, in  
 quo gratia à DEO bonorum omnium lau-  
 ditore magis resplendere videbatur.

## CAPUT IV.

*Feminarum consuetudinem abhorret.*

**R**ecensitum ad iuvandi proximi debitum cum suo Creatori persolvisset Albertus, propriæque conscientiae satisfacisset, pluribus jam gradibus in via perfectionis non sine maxima sui laude confectis, non absque anxietate ad finem aspirabat nunquam non inimicorum insidias metuens, quas in cœpto itinere jam sæpius expertus fuisset. Hinc instar experti militis in fronte aciei multiplicium operum bonorum *Orationem*, & in **DEUM** *Fiduciam* statuebat, & collocatis in extrema acie sexcentis aliis sanctis propositis ipse medius crucem suis humeris portans incedebat, numerosâ virtutum Christianarum phalange stipatus, quas inter Patientia Christi in Crucem suffixi signum gestabat: & cruenta Christi premens vestigia, ad munitissimam cœli arcem expugnandam se paulatim conferebat: cùmque in medio itineris tot assultuum victor esset, in-

in-

intantum, ut se non modò liberum  
omni stimulo, omnique cogitatu quidvis  
terrenum possidendi, nec non omni car-  
nali affectu immunem sentiret: sed etiam  
spretâ quacunque temporaria commodi-  
tate, & omni ab se amore mundano ex-  
cluso, armorum vi sibi viam hostiles inter-  
cuneos ad animæ, spiritûsque paupertatis  
aperiret: quam ubi quis assecutus  
est, næ is majora in se seipso patrat mira-  
cula, quàm si mortuos ad vitam revo-  
caret.

E suo porrò pectore eas cogitationes  
evulsurus, quæ DEUM non spectant, quæ  
primus paupertatis animæ gradus est, nulla  
in re, ut manifesto præcipitii periculo se  
subduceret, adeò fuit providus, quàm ut  
à commercio cum sequiore sexu sibi ca-  
veret, in quo eam adhibuit accuratorem  
ut quocunque sub obtentu nullam cum  
quacunque femina familiaritatem ha-  
buerit: unde quamprimùm patrias adeo  
deseruit, nunquam amplius nisi fortè pri-  
mis suæ conversionis annis semel ad ea  
regressus fuit. Et tamen si matrem dilige-

bat, satius tamen illi fuit, nonnisi mentis oculis in eam contueri, atque cum DEO de illa tractare, quam corporali visitatione cum oculis, tum auribus in memoria ac phantasia ea alloquia & sæcularium negotiorum objecta recipere, quibus à DEI consortio divinisque contemplationibus abstrahi posset: indubiè non ignarus, quod, cum plerumque matres alias secum feminas conjunctas habeant, malignus spiritus occasionem arripiat hujusmodi objecta pabulum utique igni miseriæ nostræ fovendo perquam accommodatum facultati imaginatrici opportuno tempore & oblata occasione repræsentandi, ut DEI Servo plurimum inde molestiæ & afflictionis, &, quod peius est, non sine præsentaneo lapsus periculo creetur. In hunc modum cecidère David Vir sanctus, DEIque amicus: Salomon sapientiâ inclytus, ac Samson virium robore nemini secundus: quin etiam ob similes lapsus major damnatorum pars etiamnum in inferno ardet focò æternùm non extinguendo.

H

CA.

## CAPUT V.

*Albertus nunquam è Monasterio egreditur.*

**I**N hunc ergò finem *fabricata* sibi, sua Cella, Claustro, & Ecclesia, *arctissimâ solitudine*, suum denuò antiquum ac perpetuum propositum stabilivit nunquam domo exeundi, quippe quòd in sæcularium hominum consortio JESU Sæc. m. nimè reperitur facilitate, quo in Cella complexu stringitur: immò potius occasione peccandi, vel saltem distractionum mentis extra ipsam reperiantur quot eundo passus fuit: &, quod peccatum est, homo domum redeat cum imaginariâ vâ, tantâ variorum mundi objectorum confusione, repletâ, ut priusquam eadem excutere valeat, dies, hebdomades, & menses prætereant, ac subinde unius intra horæ spatium jacturam subeat eorum meritorum, quæ per plures menses & annos coacervârat, jacturam, inquam, sanguineis quoque lacrymis deplorandam, tametsi parvi fiat.

Obv.

Obedientia nihilominus jubente minime Albertus exire recusavit, præsertim quando cum Capitulo in generalibus supplicationibus comparandum fuit, sub quibus tanta cum oculorum in se reflexorum modestia gradiebatur, ut cum ex ipso forte percontatus fuisset, quid vidisset, quidque gratum sibi notasset, mihi subridens responderit, vestigia præcedentis ab se notata fuisse: volens inde inferre, meque & alios docere, in similibus occasionibus omnes nostros inimicos ad nocendum nobis esse quam paratissimos, per portas oculorum apertas, nec custoditas in animarum nostrarum perniciem intrando: quod ipse propterea oculis humi defixis incederet, non absque nihili nostri memoria, mentèque in DEUM, omnem & unicam spem nostram erectâ.

In solemnibus SS. Corporis Christi supplicatione Vicentiæ ingens circumferri solet machina; in hac cernitur rota mirabilis artificii, in qua aliquot puellæ circumaguntur, quæ tamen è suo, quo confident, loco nunquam moventur, aliæ præterea

in variis hinc inde machinæ partibus  
splendido vestitu ornatae collocantur.  
machina hæc artificiô pulcherrima, alti-  
tudine eminentiora domorum tecta su-  
pergreditur, aspectûque magnifica est,  
quæve suppositis centum robustissimo-  
rum Virorum humeris deportata aliquot  
millium hominum, quibus omnia fora,  
compita, & plateæ abundare solent, ad  
hoc spectaculum è vicinarum alpium val-  
libus, nec non proximis Castellis adven-  
tantium oculos ad se convertit. Enim-  
verò Albertus noster amplius longè quàm  
hæc ipsa machina spectantes ad se rapie-  
bat, qui mutuò se alloquentes non sine  
admiratione dicebant: *Hic Pater est sanctus*  
*Etus: En sanctum Patrem*: quare alter  
alteri intento eum digito monstrabat, &  
omnium excipiebatur veneratione, qui  
non sine reverentia eius vestes attrecta-  
bant, & osculabantur, quod tamen ipse  
nec advertibat, nec, quid de se loqueren-  
tur, audiebat: ita videlicet DEO unitus  
incedebat, ut ne quidem popularis con-  
fusio, ad ipsius cœlestes cogitatus inter-

rum-

rumpendos sufficeret, dum nimirum intermissa paulisper Psalmorum, aliarumque precum recitatione in iis planè absorberetur. Verùm eò redeamus, unde discessimus.

Albertus itaque instar cuiusdam Eremitæ in sua inclusus Canonicâ substitit, & ne commoditates terrenas anxius inquireret, quemadmodum mox initiô spiritualis suæ militiæ se cohibuit, quò minus aliam Canonicam indagaret, ita antiquum suum propositum renovavit, in eo duntaxat loco permanendi, qui à DEO, interveniente obedientia sibi destinatus fuit, nimirum in Vicentino S. Bartholomæi Canoniorum Regularium Collegio, in quo etiam, nunquam inde recedens vixit, & devixit, ceu in quodam asperrimorum tormentorum purgatorio, quæ quidem non ipse locus, quippe omnibus deliciis ac bonis, quàm quodvis aliud Cœnobium à naturâ matre largissimè, copiosissimèque instructus, sed suamet industria non nisi in pœnitentiam inclinans ipsi subministravit. In hoc ergo ita solita-

riam vitam degebat, ut nunquam propria  
 satisfactorum voluntati in horto solus con-  
 spectus fuerit, ut vel modicum corpori re-  
 frigerium concederet: tametsi eundem  
 rivulus aquis limpidis & frigidis abun-  
 dans perlabatur, utroque ex latere sylva  
 peramœnâ cinctus: ad hæc in prata flo-  
 rum varietate, fructuumque diversitate abun-  
 dantia sit distinctus, atque adeò suaviter  
 invitet, & alliciendo vim quasi cuius  
 DEO. Servo tum ad fruendum Divini  
 gratiis, tum ad contemplandos cœlestes  
 thesauros, eorumque pulchritudinem  
 inferre videatur: quæ delitiæ ne erant  
 quidem, saltem Regularibus ob certam  
 miserabilis huius vitæ relaxationem de-  
 sunt.

Nunquam præterea visus est, per  
 Monasterii habitacula vagari, nec etiam  
 æstivo tempore caniculâ sub Leonis signi  
 ardentissimos calores emittente ea ad  
 Cœnobii loca, in quibus se refrigerari  
 posset; & invitatus, ut huiusmodi con-  
 moditatibus fruere, respondit, de  
 cias nostras [ digito in cœlum intento]

perius quærendas esse, & eum, qui inferius eisdem indulgeret, sibi certò polliceri non posse, quòd eas aliquando in paradiso obtenturus sit. Hinc est, quòd Ecclesia hortus ipsi, ambulacrum, & unius restorationis & recreationis locus fuerit: in eadem lacrymarum se torrente abluebat, & sub umbra arboris Crucis vires instaurans, ad priorum suspiriorum auram inter purpureos plagarum inflictarum, membrorumque sanguine resperforum flores quietem captabat, & tanquam ille, qui intus DEI amore inflammabatur, externum quodcunque refrigerium flocci habebat, relicto corpore ceu vili sacco, nec non tenebroso carcere animæ, ex eo liberari, & cum Christo conjungi desiderantis,

Verùm ut planius loquar, spernebat Albertus, quidquid corpus oblectare poterat, hoc pacto omnem sibi præcisurus occasionem desiderandi rem quamcunque, quæ sit extra DEUM: quo Divina opitulante gratiâ obtento, eousque progressus est, ut non tantùm, quod sensibus

esse delectamento posset, fuga declinaret, sed nec Divinarum consolationum, nisi in quantum suo Conditori placeret, cupidus esset: hinc Ecclesiâ pro sua sibi habitatio-  
ne constitutâ, ne corpus à contemplatio-  
nis officio ipsum impediret, omnis gene-  
ris commoditates eidem denegabat, ut  
tali modo spiritui carnem plenissimè sub-  
jugaret, quod & feliciter evenit.

## CAPUT VI.

*Alberti orandi modus, ejusque  
Extases.*

**I**N hac DEI domo Albertus corpus su-  
um, ceu mancipium Cruci alligatum  
genibus per quindecim horas diurnas ac  
nocturnas innixum sustentabat: siqui-  
dem à manè, excepto eo tempore, quod  
Sacro peragendo, Divinòque Officio assi-  
stendo impendebat, genibus semper fle-  
xis Missas audiebat, vel Minister facienti  
ad Aram Sacerdoti inserviebat, supremis  
praesertim vitæ suæ annis, nec non Psal-  
mis, aliisve precibus recitandis vacabat.

Pran-

Prandiô finitô illud temporis spatium, quod hyeme inter Vesperas & prandium habebatur, & æstate, quod inter prandium & Horam Nonam intercedebat, nec non insequentes duas horas, in reddendis gratiis, ac orationibus ante quodvis Altare fundendis infumebat: si deinde legendi, vel studendi, vel alterius alicuius exercitii spiriitualis obeundi desiderio se ad Cellam conferret, in ea non diu moratus brevè repetebat Ecclesiam, ac genibus insistens inde non se dimovebat, quousque Vesperis & Completorio assistendum esset: hyeme verò, bruma rigente, cum in hoc statu planè conglaciatus, ac præ frigore membris captus subsistere nequiret, in Choro supra pavementum aliquantum deambulabat, ut hoc motu tantisper calefieret, semper tamen interea Psalmos, Orationes, ac Hymnos precando decurrens.

Nocturno dein tempore denuò in Ecclesiâ se sistens afflictum corpus ardenti Christo se conjungendi desiderio, ceu duro cuidam exactori tradebat, ac diversis

H s

104

tormentis tanquam dilatæ hæctenus gratiæ reum perquam asperè divexabat: & ita castigatum persæpè genibus innixum tenebat adeò immobile, ut insensatae cuidam statuæ similis, quàm corpori carne & ossibus constanti atque ab anima animato videretur. Atque in huiusmodi corporis situ à pluribus non rarò nocturno fuit inventus ita omni sensuum usu destitutus, ut vocatus, atrectatus, agitaturnon adeò facile aliquid sentiret, & nonnunquam citiùs, aliàs tardiùs visus fuerit sibi ipsi restitui, quin etiam quandoque tam lentè, ut alii pertæsi, sine non expectato, recesserint stupore repleti. Mihi quoque persæpè contigit, ut in hoc corporis situ eundem reperirem, quando duabus ac tribus secundùm cœnam horis afflictum quempiam, sic desiderantem, eius precibus commendare volebam.

Verùm non solùm conspectus fuit in recensito corporis positi nunc oculis in cœlum levatis, nunc brachiis crucis in formam pectori impositis, nunc etiam in altum sublatis haud aliter, ac si manus in

cru

Crucem suffixæ essent : sed etiam non raro humi prostratus ore pavimento adhærendo , illudque humectando lacrymis , brachiis hinc inde diductis repertus fuit : hinc plures adverterunt, quod nasi extremitas pulvere conspersa , immò & levi etiam plaga perstricta esset.

Aliquando etiam à P. D. Vitale à Conegliano eiusdem loci Canonico Reg. eximie pietatis Viro & id temporis Alberti nostri Patre spiritali inventus fuit in Ecclesia noctu coram Augustissimo Eucharistia Sacramento in genua immobiliter innixus, facie illius tanto splendore circumfusa , ut attonitus stupore se se indignum reputans diuturnioris huiusce rei experimenti capiendi , inde abscesserit , sequenti verò manè lacrymis infusus ad me, quid vidisset, relaturus accesserit. Immo & mihi semel ac iterum accidit, ut ipsum interdum viderim , & intra Chori cortinas constitutus observaverim in aliquo sedili genibus incumbentem facie serena & veluti ridente , brachiis in formam crucis supra pectus positis, atque

au-

audiverim certas quasdam voces altiore quidem tono non tamen ita articulatam pronuntiantem, ut, quid diceret, percipere potuerim. Cùm deinde cum aliis ista contuliffem, intellexi, talia ab iis quoque tam antea, quàm postea, visa & observata fuisse.

Jam verò hæ voces cum hac frontis serenitate conjunctæ, unde suum habeant ortum non facile divinaverim: dicere quidem possem, quòd ipse in contemplationis actu existens, à tanta lætitia occupari, & in jubilum ita excessivum rapi potuerit, ut eius sustinendi impotens eiusmodi voces emittere coactus fuerit, ne alioqui vel rupta interiùs venâ copioso manaret sanguine, vel alias in gravem aliquem morbum incidisset. Verùm cum animus non sit, hîc disputationi locum dare, rem aliis in istiusmodi casibus, ac divinis favoribus probè versatis dijudicandam relinquo, & ad alia transi-  
tum facio.

\* \* \*

CA.

## CAPUT VII.

*Colloquium inter duos eximios DEI  
Servos.*

**A**N, quæ recensuimus, extases vel raptus fuerint, quidve ipse tunc vel viderit, vel quibus deliciis affluerit, ex eius ore nihil unquam certi intelligi potuit: quamquam & illud non nesciam, quod eiusmodi solatia minimè desideraverit, in quibus hominem omnis expertem esse meriti, quin etiam iacturæ discrimen subire dicebat. & quoniam plurimum interest, breviter nec sine legentis præsentem historiam consolatione referam id ipsum, quid ipsemet de huiusmodi excessibus spiritualibus senserit, ubi simul manifestandi colloquium eximiorum duorum DEI Servorum occasio offeretur.

Fama piissimi Alberti supremis vitæ ipsius annis eousque increbuerat, ut non tantum quacunque afflictione oppressi ad eius pro se preces impetrandas recurre-  
rent, sed etiam plures diversarum condi-  
tio-

tionum, statuūmq; homines spiritu exercitati in magni momenti casibus spiritum concernentibus eum convenirent, ipsi aliquod consilium efflagitaturi: quos inter fuit quidam Venerabilis Ecclesiæ Cathedralis Canonicus, R. D. Gelius Ghellinus Presbiter & præstans Vicentiæ Theologus, vitæ adeò sanctæ & inculpatae, ante triennium Clerum Ecclesiasticum suo ex hac mortalitate ad DEUM transitu, præteritæ vitæ respondente plurimum illustraverit: cujus modò sepulchrum magna devotione invisitur, & pluribus apensis ex voto anathematis honoratur. Hic itaque ad S. Bartholomæum aliquando veniens me sanguine sibi junctum rogavit, facerem ipsi Patris Alberti copiam ut quoddam grave negotium, quod per magni sua interesset, cum ipso pertractaret. Is primùm à me admonitus, P. Albertum auditus difficultate laborare, ad eum introductus fuit. Et quoniam isti Sacerdotes in Ecclesiæ Choro mutuo colloquebantur, me curiositas incessit audiendi, surditati P. Alberti confisus,

ius occasione R. D. Ghelinus vocem attollere cogebatur, alter verò proprio persuasus defectu reliquos omnes pariter surdos esse, tam altè quoque loquebatur, ut etiam à longè audiri, atque intelligi posset.

Igitur ubi mutuis breviter inter se humanitatis officiis defuncti sunt, D. Ghelinus ita fari occæpit: *Reverende Pater, in multis, iisq; gravibus Authoribus doctrinam de spiritualibus excessibus in primis verò de extasi legi, indèque theoriam egregiam, meoque iudicio verissimam addidici: at quoniam aliis in hac materia consulendi mihi offerri potest occasio, quid Vestra Paternitas sentiret, perlibenter pro mea consolatione audirem, hinc ut suam mentem declaret, eandem quàm instantissimè per amorem JESU CHRISTI rogo.* Non statim Albertus ad propositam quæstionem respondit, rubore suffusus, quòd apud alios esset in opinione, quasi gratiam ejusmodi mentis excessuum haberet, & in mystica Theologia plurimùm esset exercitatus, in qua jam pridem D. Ghelinus emineret, tandem verò dixit, *quòd ad praxin attineret, primùm*

primùm

mùm utique probè addiscendam, se ipsi minime  
 mè satisfacere posse; siq; exaudiri à DEO  
 dignus esset, cum securior, commodiorque  
 via ad adquirendum cœlestium gratiarum  
 fluxum non inveniatur, quam instanter, & toto ex corde petere, & desiderare  
 externas, & internas pro DEI amore calami-  
 mitates, & afflictiones, se supplicem eidem  
 futurum, ut sibi non nisi cruces, mortificationes,  
 labores, persecutiones, dolores immittere-  
 ret, nec etiam ad ipsam usque sanguinis effu-  
 sionem sibi parceret, ac summam in eis  
 mediis serviri vellet, quibus SS. Apostoli  
 que centeni, ac milleni Martyres & Confes-  
 ses suam ipsi servitutem probaverunt, in  
 quibus non legitur, quòd spiritualibus et  
 modi consolationibus fuerint recreati, qui  
 frequenter possunt esse suspecta, & ab eo, qui  
 se in Angelum lucis ad nos fallendos trans-  
 format, procurata: ad hæc plerumque ex-  
 gnis inde fructus eruitur: siq; subinde ali-  
 qua aliqua reperiat, quæ profectum hauriat  
 ex tali extasi: erunt tamen illa admi-  
 dum pauca, nec tantus erit iste profectus  
 ut ad DEI sui que ipsius cognitionem, ad DEI

proximique amorem pertingant, inque vera mortificatione progrediantur. Si tamen Divina placeret Majestati alicui hanc gratiam impertiri, necesse erit, ut eiusmodi cum humilitate, atque timore eam occultam servet, ac nulli mortalium detegat: siquidem hoc pacto maximum inde fructum talis consequetur, gravissimaque pericula declinabit. Hæc nihilominus, quæ dixisset, quæq; huic idonea proposito, quæ quidem sat multa sunt, in medium afferre potuisset, se se ad allegatos, quos sua Reverenda Dominatio vidisset, Authores remittere: hortari se tamen eandem, ut super hoc negotio singulares ad DEUM preces fundat, eumque in consilium adhibeat, quod casus iste perquam gravis, sexcentis, quæ singula magni essent momenti, consequentiis circumscriptus esset.

Hinc pronum est colligere, Albertum huiusmodi excessus non habuisse, vel magnâ cum cautelâ atque prudentia eosdem occultâsse, quod quidem verò simillimum est spectata corporis ipsius immobilitate, in qua per sæpè deprehensus fuit, quæ inde provenire potuit, quòd illud animæ

I

ope:

operationibus tunc fuerit destitutum,  
quando hæc in DEO absorpta Divinis  
consolationibus fruebatur.

## CAPUT VIII.

*Casus quidam in hoc de Extasi  
proposito.*

**S**Æpius contingit, ut cana senectus pue-  
ris ludibrio sit, & in jocosum cedat, & cer-  
tè, quemadmodum mihi persuasum ha-  
beo, non alia de causâ, quàm quòd ean-  
dem infantilis quædam puritas comite-  
tur, eaque propter illis ob propriam sim-  
plicitatem videatur aliquo modo æqualis  
quâ cum se recreent. Expertus quondam  
fuit puerilem hanc licentiam Divus Vate-  
Elisæus, aliique Sancti: nec aliter nostro  
contigit Alberto, qui pariter eiusmodi to-  
leravit licentiam, licèt sine eorum teme-  
ritati minimè respondente, uti mox vide-  
bimus.

Cùm itaque Venerabilis DEI Servus  
Albertus more sibi consueto in Ecclesia  
ante Aram DEI - Parentis in cœlum ab-  
fuit

sumptæ in gonua provolutus precibus in-  
 sisteret, quidam pueruli pauperie oppres-  
 si ad eum accedebant stipem flagitaturi,  
 cum autem ipse nullas eorum petitioni  
 præberet aures, illum illudendo circum-  
 ibant, cum autem exinde nil ipse move-  
 retur, forsân tum in DEO absorptus, no-  
 vum ac singularem modum, optimum in-  
 quietandi senem excogitârunt: siquidem  
 unus post alterum retrò ipsum per rectam  
 lineam genibus incumbibat, ita tamen,  
 ut si primus, qui longius cæteris à Patre  
 distabat, laberetur, necessario continge-  
 ret alterum, & hic cadendo tertium, & sic  
 deinceps usque ad ultimum, qui etiam  
 cadendo terrani manibus non sine strepi-  
 tu pulsaret: lusus hic illi puerorum lusui  
 simillimus, quando plures cocti lateres re-  
 ctâ lineâ unus ab altero ampliore spatio  
 non sejungitur, quàm ut cadente primo,  
 secundus, ac reliqui dein omnes ordine  
 in casum non absque ludentium oblecta-  
 mento pertrahantur: in hunc modum hi  
 pueri suum auspicati lusum ita se se loca-  
 bant, ut primus labendo, secundum in

casum, hic tertium atque deinceps usque ad Albertum, & hunc quoque non sine risu manuumque complosione in casum impellerent: verum is mox se erigens nec animo, nec vultu immutabatur, nec eriam à loco, ceu nunquam aliorum impulsu cecidisset, vel nonnisi se seipso lapsus fuisset, dimovebatur: cumque demum sæpius suam petulantiam repetiissent, ipse verò in primo semper statu perseveraret, fatiati hoc lusu atque fatigati ab eo desistebant, expectantes tam diu donec stertem acciperent: qui demum ceu a longo excitatus somno, [incertos relinquendo, an, quæ circa illu gessissent, ipse animadvertent] magna affabilitate stipe donatis, adjuncto spirituali documento, cuius ætas illorum capax esse poterat, in pace dimittebat.

Casus iste variorum discursuum materiam subministrabat, utrum videlicet tunc in mentis excessu fuerit constitutus, & ita quidem, ut nec in humeris percussus, quin nec ipsum lapsum senserit: siquidem in tali constitutus excessu, cur non è terra

se erigens sibi fuerit restitutus: si vero restitutus sibi, qui fieri potuerit, ut petulantem parvulorum illorum licentiam porro toleraret, nec eosdem ab suo errore dehortaretur, optimam tum nactus occasionem eos admonendi, quatenus deinceps modestiores essent. Quæ omnia ulteriori benigni Lectoris considerationi transcribo, ut a lectione transitum ad mentalem discursum faciens ex ipsa varietate gustum aliquem percipiat. Interea parvulos in eorum imperfectione relinquens utique crescente ætate maturiores futuros, ad alia me confero.

## CAPUT IX.

*Dæmon in Angelum lucis transformatus Alberto apparet.*

Superius ex ore Alberti desiderium mentis excessuum dissuadentis dictum fuit, diabolum se in Angelum lucis transformare posse. Id quam verum sit, ex D. Paulo Ep. ad Cor. 2. cap. 11. habemus, & hoc non solum facit positiva persuasio-

ne verum pro falso monstrando, seseque serpentis instar sub ipso veritatis flore, at herba occultando, sed insuper gloriosis apparitionibus se manifestando, ut hoc pacto superbiâ tumens spiritus adoretur ab incautis, veluti id tentasse legitur cum Sanctis non paucis, & re ipsa sæpius Alberto nostro apparuit sibi persuasum habens, se ita duplici ipsum mortiferâ plagâ prostraturum, alterâ si ab eo adoraretur, altera, si dein ipsi ob mentis oculos poneret quàm enormem hoc faciendo commiserit noxam, sicque in desperationis barathrum proturbet.

Quadam itaque nocte evenit, ut optimus Pater ab Ecclesia ad Cellam plenus sancta quadam consolatione regrederetur: cùmque afflicto corpusculo aliquantulam quietem [ non quidem molli grabato, sed stramini solum, vel nudo assensu hyberno quoque tempore incumbens indulturus candelam ardentem extinxisset, subito per fenestræ rimas ingentem splendorem introeuntem animadvertit propiùs verò notaturus, hæc lux undè

suam haberet originem, fenestram aperuit: extra quam sibi tunc videbatur B. V. Mariam intueri sole vestitam, ac cœlestibus Geniis circumdatam, quorum cœlico concentu in cœlum rapiendus esset.

Ad hunc inopinatum, nec aliquando experimento probatum assultum generosus animus, quo se verteret, ignorabat: sustinuit quidem impetum lucis, melodiæ, & augustæ Majestatis: quoniam verò, uti diximus, extraordinariæ consolationes semper illi suspectæ fuere, tam potens non fuit hic insultus, ut ipsi cederet, & se superari pateretur: siquidem mentem non diutiùs in id, quod esse posset, intendens, fenestram clausit, & ad captandum somnum membra composuit; verùm confusione phantasmatum ob miranda, quæ vidisset, eius continuò phantasiæ objecta, ea nocte somnus ab eo aufugit: quare summo manè, cùm sibi minus satisfactum esset, è strato se proripiens, cum suo Confessario rem totam communicavit: Hic ex perturbatione, quam Albertus subiit, & ex inquieto animi ipsius

statu, quo somno privabatur, arguens  
 apparitionem illam fraudem fuisse Caco-  
 daemonis, eum consolatus asseveravit, nul-  
 lum ab ipso commissum fuisse errorem,  
 cum, quando sic animo hærebat, nihil  
 egerit, quo perfidum generis humani ho-  
 stem honorasset, ac propterea DEUS, ho-  
 nore sibi debito privatus fuisset: aiebat  
 præterea illam inquietudinem idcirco  
 fuisse permissam, ut in futurum ipsi do-  
 cumenti locò interviret, diabolicas appa-  
 ritiones haud aliū post se effectum relin-  
 quere, quam animi perturbationem at-  
 que dolorem: non ita Divinas, quæ ho-  
 minem earundem participem factum  
 sancta quadam consolatione perfundunt  
 quapropter se monitum ipsum velle, si  
 certus esse cupiat, eiusmodi apparitiones  
 an à DEO, an verò à jurato humani gene-  
 ris hoste proveniant, ut mox, dum in ocu-  
 los incurrunt, Crucis signo se muniat.  
 Alia insuper salubria documenta ipsi sug-  
 gessit, & nonnulla signa ostendit, per quæ  
 diabolicæ à Divinis apparitionibus dis-  
 cerni possunt: videlicet, dæmonem non

posse figuram honoris & gloriae assumere, quin turpe aliquod membrum detegatur, veluti cauda serpentina, unguis alicujus bestiae, vel abominandi alicujus monstri.

His Albertus documentis non sine solatio acquiescens, & confirmatus, melius sibi deinceps attendit: & sanè non multum temporis intercessit, cum iterum Sathanas in forma Crucifixi apparuit, hoc modo ab Alberto cultu Divino afficiendus. Verùm is, quia memor documentorum occasionem nancisci desiderabat superbum spiritum confundendi, te, exclamabat, *cognosco ex signis, o infamis bestia! per hoc sanctissimum Crucis signum in Tartarum facesse, sufficit mihi videre Christum in gloria sua, si dignus fuero effectus, eius in presenti vita videndi nullo teneor desiderio.* Ad quæ maledictus spiritus in rabiem actus, & confusione plenus disparuit, aërem circumstantem fumo, flammâque involutum relinquens.

## CAPUT X.

*De Alberti Fejuniis.*

**A**lbertus victoriis minimè insolescens sed assultibus diabolicis humiliatus non tam Sathanæ, ceu canis cujusdam catenâ alligati vires formidans, quàm ipse solus dolos, ac stratagemata metuens, quàm sine singulari gratiæ Divinæ lumine, non dicam, superare, sed ne quidem ab iis sibi sufficienter cavere posset, illa semper arma ad manum parata habebat, quæ ad hostem adeò fortem vincendum potentiora sunt; inter alia verò carnis macerationes adhibebat, quibus adeò impensè studebat, spiritui planè addictissimus, cuius unice partes fovebat, ut recensitis mortificationibus sibi minimè sufficientibus seipsum acriter quasi persecutus, asperam in ediam in dies modico pane & aquæ haustu contentus sibi indixerit, existimans se non satis exercere ordinaria consuetudine Ecclesiæ & Congregationis precepta, nisi quoque extraordinaria superaddideret eo cum excessu, ut ad magna

corporis debilitatem non sine vitæ discrimine reduceretur: siquidem hac aliis adjuncta afflictione, omnino videbatur, pugnam ipsi mortalem cum aliquo salutis suæ infidiatore intercedere; carnem suam eousque coërcuit, ut adversus spiritum non solum amplius recalcitrare, sed ne quidem sensui quocunque tandem modo porro obedire posset. Atque in hoc non absimilem habebat consolationem, quam homo quispiam carnalis sentiret, mundi amicus, ac sensualitatis mancipium, posteaquam corpus suum egregiè nutritivisset, illique adblanditus fuisset, quòd minimè pigrum suarum, quas appeteret, voluptatum, atque inordinatorum desideriorum ministrum experiretur.

Hujusce rei factus ego certior, quia mei, quo tunc in ista Canonicaungebar, erat officii, ad me seorsum vocatum perhumaniter allocutus, ei consului, *ut in se macerando non nihil moderatior esset, quippe quòd obsequium DEO exhibitum esse debeat rationabile, cui id tum tantò sit futurum acceptius, quantò amplius virtute prudentiæ*

oc

*ac discretionis fuerit conditum, qua utraque  
 diuturnius, meliusque ipsi serviretur. Verum  
 tam tanto ipsum tum fervore occupatum  
 comperi, itaque huic jejunii exercitio ap-  
 plicatum, ut non dubitaverit, tametsi ad  
 modum modestè, rem facere controver-  
 sam, utrum plus sibi prodesset tunc jeju-  
 nia sua eo modo proficere, vel obediendo  
 eadem moderari: nam si remitteret, ti-  
 mebat, ne in eo conflictu victoriæ, cui po-  
 tundæ jam jam vicinus esset, jacturam  
 subiret. Ego certè re ipsa deprehendi,  
 quòd tunc tam grandis ipsius fervoris ex-  
 cessus esset, ut agnoscere verum nequiret:  
 quapropter adimens illi occasionem per-  
 gendi ulterius, ipsi discrimen proposui  
 perdendi utriusque simul, corporis & animæ,  
 quòdque, si proprium judicium sequeretur, sui  
 ipsius crudelis homicida evasurus esset: de-  
 in etiam, quòd in propria causa iudex com-  
 petens esse non posset, benè tamen ego: ni-  
 hilominus hoc negotium suis in precibus DEO  
 singulariter commendatum haberet, interim  
 non aliud in contrarium opponens viam su-*

am pergeret, & manè sequentis aiei ad me rediret.

Promptè tum Albertus obediens altera die manè ad me regressus est, at planè alius ab eo, quàm vespere antecedente fuisset: nam in genua procumbens non sine lacrymis copiosè fuis veniam petit scandali, quod se mihi dedisse suspicabatur, non statim dato consilio obsecutus, cum, quidquid dixissem, verissimum esset: ad meam voluntatem exequendam se paratissimum exhibere, proinde solummodo eandem ipsi intimarem, inque sue vindictam temeritatis, quam esset promeritus, pœnam injungerem. Et totum hoc dixit absque minimo excusandi se se dato indicio, suam videlicet declarando intentionem qualis illa fuerit, tum quando mihi respondit: nimirum gratius ipsi erat confundi, quàm culpâ immunis videri: id quod postmodum prorsus distinctè ex suo Patre spiritali intellexi: videlicet, quod à desiderio jejunii, cujus admirandos fructus tum fortè eius menti inhærentes, sexcenta Divorum exempla ipsi suggerebant, omnimodis oc-

cu-

cupatus, ne quidem capere potuerit, quod  
 sibi proponeretur; utque vidit, tam in-  
 pinatò obicem sibi poni, quò minus  
 consequeretur, quò non pedes sed alas po-  
 tiùs directas, ut citiùs eò perveniret, sibi  
 habere videretur, idcirco quasi extra se  
 raptus, admodum turbatus fuerit: verùm  
 subjunxit, nunquam contrariam se verita-  
 ti, inque detrimentum obedientiæ tanto-  
 perè ab se honoratæ, & amatæ opinionem  
 fovisse, arbitratum, quòd, si inspectanti-  
 bus, atque tacentibus Superioribus inedia  
 se maceraret, silentium illud tacitæ locum  
 licentiæ subiret, priùs jam à multis aliis  
 Abbatibus obtentæ, eiusmodi scilicet je-  
 junia omnèsque alias vitæ pœnitentiæ au-  
 steritates pro suo arbitrio exercendi.

Tam humili, tamque prompta remissi-  
 sione, qualem omnino opperiebar, admo-  
 dum delectabar, postquam denuò animo  
 addidissim, suffecerat mihi, ut in extraor-  
 dinariis jejuniis morem jejunandi com-  
 munitati usitatum pro libitu continuaret.  
 jejunia verò sextæ Feriæ, ut aliquantulum  
 mœrore ipsum levarem, in pane, & aqua  
 pro-

sequeretur: ad hæc reliquas omnes licentias paucis limitationibus adhibitis ipsi confirmavi, quæ omnia læto animo deinceps observavit, donec ab aliis Abbatibus aliud statueretur.

Ex quo colligitur, non malè fieri, si quandoque à nimio fervore non nihil remittatur, quippe qui nimium angustis limitibus circumscriptus torrentis instar cum impetu currentis, obedientiæ aggeres perrumpere, & liberè ac dissolutè excurrendo Regularem ordinem ac disciplinam adjuvante inimico dissipare possit.

## CAPUT XI.

### *Injurias perfert.*

**A**usteritates quantumvis asperæ ac grandes animis etiam delicatioribus dulces semper visæ sunt, quas à proprio iudicio approbatas homines sibi procurare satagunt, quæ stultitia in illis notatur, qui in seipos verberibus crudeliter desævientes carnem malè nutritam dilacerant, dùmque multiplices à propriis ma-

ni-

nibus omnis discretionis expertibus injurias supportant, DEUM laudare conantur: eundem ipsum aculeum, qui mel efformavit, apis instar, in eum, quisunque tandem sit, qui parùm duntaxat in requapiam sensui contraria eos tangit, intorquent: & levi occasione captata sibi contradicentibus irascuntur, tantoque furore exæstuant, ut vel integram viciniam pro sui securitate ad arma capeffenda concitent. Hujusce farinæ minimè fuit patiens Albertus, qui occasiones patientiæ externas semper cum spiritûs aviditate complectebatur, & ceu salutaria animæ suæ pharmaca cum gratiarum excipiebatur actione, veluti in casu sequente mirabiliter evenit, in quo invicta patientia & profundissima humilitas resplendet, qui cum ad serviendum pro exemplo nimium sui ipsorum amantibus, & in sufferendis alterius imperfectionibus perquam delicatis sit longè aptissimus, juverit eundem huius quoque vitæ inserere.

Fortè hyemali tempore post prandium ad eos frigoris rigores repellendos, qui

fame

sumpto cibo singulariter sentiri solent, ad  
focum assistebat; ibi cum nova mundi, à  
quibus DEI Servus tam alienus erat, quan-  
tum extra mundum eius conversatio non-  
nisi cum D E O esset, legerentur, ipse ve-  
rò animadverteret, nonnullos lecta, quo-  
rum ob suum naturalem defectum nihil  
percipiebat, summoperè mirari, nunc  
hunc, nunc alium intuebatur, forsan eos,  
quòd ita mirarentur, admiratus: cum  
ecce notatus ab uno fuit, qui nonnulla in  
alios auctoritate pollebat, is sine alio re-  
spectu optimi Patris simplicitatem sinistra  
interpretatus, adeò vehementer verbis in  
eum invecus est, nimirum uti diabolus  
nunquam non in Alberti damnum inten-  
tus tunc instigarat, ut tum præsentem in-  
dignarentur, & Alberto condoluerint: &  
quoniam in hoc casu remedium afferre  
nequibant, expectabant, quibus armis ge-  
nerosus Christi Athleta ictus tam graves  
repararet. qui tum & ipse variis fortè cum  
affectibus, certo nimirum ac vehementi  
carnis ex se ad injurias ulciscendas prom-  
ptè dolore ob offensam illatam, tum sin-

K

gu-

gulari spiritûs lætitiâ , conjuncta cum promptitudine contemptum, & inhumanum, quo excipiebatur, pro DEI amore tolerandi modum conflictabatur. qui affectus tametsi seipsis sint admodum vivaces, atque occasione data promptissimi ad erumpendum, nihilominus uno eodemque tempore commoti, ab ipsamet eorundem contrarietate suspensi locum sublimiori cogitationi dignæ tanto Sacerdote dedere: is enim in schola Christi artem Divinam antidotum extrahendi è veneno edoctus, insigni animi submissione provolutus in genua, eâ ipsâ occasione, quæ iram in illum Patrem suggerere poterat, veniam flagitavit: ad quæ cor illud durum subito emollitum, cum advertisset suum errorem, sufficiente emendatione restauravit animos illorum, qui illâ corripiendi vehementiâ & excessu offensi fuerant. Nihilominus P. Albertus non quidem ad fugiendas ejusmodi occasiones, quæ ingens ad vitam spiritualem emolumentum conferre poterant, sed ad tollendum deinceps in eiusmodi locis, quod-

cun-

cunque alios contristandi incitamentum, præter principalem intentionem pro DEI amore patiendi, deinceps vel non amplius ad focum comparuit, vel saltem ibi non diu subsistit, præeligens rigorem sufferre frigoris, cui vel à natura, vel ob nimiam abstinenciam, & persæpè ob vestitum pauperibus in stipem donatarum defectum ita subjectus erat, ut quasi semper obrigesceret, quàm ut ansam præberet scandalum proximo dandi cum tanto propriæ quietis detrimento, nec non alterius conscientia præiudicio.

Existimârunt nonnulli, quòd Albertus tunc à foco recedens non in Ecclesiam pro more suo, sed in Cellam secederet, carnem suam, antequam offensam persentiret, flagris excepturus, utpote quod opportunissimum tunc sit tempus eam castigandi & humiliandi, quando impulsâ ab occasione in spiritum insurgere potest. Ego autem credo, nec fortè me fallit opinio, quod tunc ad hæc remedia confugerit, si tamen confugit, ex certâ magis consuetudine longo jam usu contractâ, quàm

quòd recalcitrantem sensum ob hanc  
causam sub jugum mittere deberet: cum  
que suum corpus ita affligerit, perdomue-  
rit, & tam obsequens spiritui reddiderit,  
ut ne quidem tunc adverterit, offensam  
illatam sibi, aliquam fuisse fragilitatis  
humanæ imperfectionem, multo minus  
depravatæ voluntatis injuriam: immo  
potius quantum spiritui placeret, tantum-  
dem approbaret & corpus, ceu minister  
imperium non amplius detrectans, sed  
tanquam socius voluntarius emergentis  
commodi particeps, exequeretur prom-  
ptè, quidquid in obsequium, majoremque  
DEI laudem cederet summa cum vo-  
luptate perferendo, quæ repugnare vi-  
dentur sensui, non perspicienti, similes  
tentationes ad probandos veros DEI Ser-  
vos necessarias esse: ita Abrahamus, ita  
Josephus, ita alii sine numero fuere pro-  
bati, qui pretiosi balsami plantæ non dis-  
similes ad incisionem tolerantiarum, odo-  
ratum illum patientiæ liquorem emise-  
runt, quo etiamnum mundus reficitur, et  
recreatur.

## CAPUT XII.

*Alberti desiderium moriendi.*

**A**lbertus jam in cœlestis officinâ fabri purificatus, & plurimarum afflictionum malleis emollitus per viam innocentia ad finem suæ peregrinationis & cœlestis patriæ consecutionem aspiraverat, & quidem non minore desiderio, quàm peregrinus quispiam huius mundi, cum lacerata navi mercibus onusta, marinis tempestatibus pulsatus, & piratarum vexatus incursione securum aliquando patriæ suæ portum intrare desiderat. Et quoniam ipsi videbatur, quòd non nisi uno cum inimico luctari porrò deberet, summâ animi tranquillitate diem suæ retributionis opperiebatur: conculcato quippe prorsus mundo, nuntiòque remisso consanguineis, rebus, dignitatibus, commoditatibus, deliciis, quin ipsimet desiderio vivendi diutiùs, & in summâ quidquid mundus dare potest, vel promittere, sit verum, falsum, vel bonum apparens, omni liber impedimento ad Domini sui

vocem vigilabat: & hoc tam anxie, ut  
 nostris orationibus juxta pium morem La-  
 teranensi Congregationi consuetum de-  
 functi commendarentur, vel alia viâ ip-  
 transitus cujusdam ex hac in alteram vi-  
 tam innotesceret, sanctâ stimulatus in-  
 diâ pio suspirio ex intimo cordis prodeun-  
 te beatum illum prædicaret, quòd obse-  
 ro carcere liberatus, & terrenis obligatio-  
 nibus expeditus suam militiam finiverit,  
 modò coronam exinde promeritam in  
 cœlo recepturus. *Et miser ego, subjunge-  
 bar, finis mei incertus, scitens imperfectio-  
 nibus, & peccatis oneratus, nec non ad occu-  
 pandum in hac Religione locum alterius, qui  
 me longè melius eidem deserviret, planè in-  
 utilis, adhuc vivo? fiat tamen tua, ô Domi-  
 ne, voluntas.* Ego quoque, cùm is nati-  
 vum accepit, suum è fratre nepotem in  
 bello cecidisse, admiratione & consola-  
 tione perfusus in hæc audivi prorumpen-  
 tem verba: *Felix bellum, immò pax sancta  
 pro illo, quâ tam subito hujus mundi miseria  
 subductus, suoque Conditori restitutus fuit.  
 at ego, qui tot jam annis cum morte luctor*

*ut victus eidem in victimam cedam, desiderio adhuc langueo, & in incertum fluctuo. Fiat Domini mei voluntas!*

Seipsum peccatorum mundi coryphæum esse censebat, & indignum, quem terra portaret: ita tamen spem suam in DEI misericordia, ac Passionis JESU Christi meritis repositam habebat, ut hæc in DEUM fiducia mirabile timoris fulcrum esset: ubi ipsum audienti insigni erat exemplo, ne quis nimium suis bonis operibus confideret, nec nimium ob culpas proprias diffideret, sed has assiduâ pœnitentia mundaret, illa verò intra vulnera Salvatoris nostri, ad hauriendum exinde meritum ac valorem reponeret.

### CAPUT XIII.

*In quanta fuerit existimatione.*

**O**B virtutes tam eximias, quibus benedictus DEI Sacerdos Albertus ornabatur, pronum est imaginari, in quantum in Urbe Vicentina, tum in Congregatione Lateranensi existimatione fuerit:

talis siquidem ea fuit, ut, cum nullius non lingua coleretur, & extolleretur, certo quodam modo etiamnum vivens caelo assertus fuerit, quippe non alio titulo, quàm *Beati, Sanctive* nomine celebratus, nec aliter quàm *Pater sanctus* appellatus. Ad hæc communis fuit opinio, ab ipsis Patribus spiritualibus confirmata, quod toto vitæ cursu nullam noxam lætiferam admiserit, venialibus verò quàm paucissimis, nec non admodum minutis se obstrinxerit; quamobrem famam majorem obtinere nequiverat homo quispiam, nisi ipse, constitutus, in Claustro abditus, à mundo, ac si in eo non viveret, segregatus, spontè manibus ac linguâ destitutus, non operans, nisi ad nutum alterius, nec loquens, nisi provocatus, & quidem non nisi de DEO, & in summâ, talis, qualem hætenus descripsimus, & deinceps ad finem usque describemus. Quod quidem omnino sufficiebat, ut in ipsum afflicti spem suam collocarent, in suis necessitatibus ad eum confugerent, ipsis portus esset in mundi hujus mari, nec non

factatis ejusdem tempestatibus ac fluctibus ancora, atque in ipso mortis, vitæque confinio subsidium: quo tempore multi, desperantes eum ob dilectam suam solitudinem habere posse præsentem, tentabant obtinere, ut ipsis saltem suis orationibus & spiritu assisteret. Unde tanta erat infirmorum erga illum pietas, ut, si è Clauastro exivisset, sine dubio morientium hujus civitatis in supremo cum morte conflictu contra infernalem inimicum Patronus esse debuisset, quemadmodum postremis vitæ suæ annis cum quodam Nobili Vicentino ipsi accidit, qui tam diu pharmacum sumere recusavit, donec à P. Alberto benediceretur, hac confidentia nixus, quòd si liquor ille non esset profuturus corpori, Patris tamen præsentia anima sua corroboraretur, veluti etiam id contigisse sperare licet. Siquidem ad decumbentis lectum, missus ab obedientia, deveniens tanta spiritûs efficacitate eum in recipienda illa medicina consolatus fuit, ut extraordinario stupore ac solatio circumstantes, infirmum verò sancto quodam

K 5

dam

dam robore ac fiducia præter peccatorum remissionem cœli quoque gloriam impetrandi repleverit.

Non multum ab simile evenit cum Matrona quadam perquam illustri ac plurimum honorata, quæ gravi infirmitate lecto affixa, vitæ Alberti sanctimoniâ, nec non famâ gratiarum, quæ eius intercessione à dispensatore gratiarum obtinebantur, permota, benedicti Patris orationibus se commendabat: quarum virtute cum se voti compotem factam, sanitatemque tantoperè exoptatam, ut majorum filiorum curæ, & educationi, non tam fecunda, quàm amans eorundem mater, daret operam, impetrâsse existimaret, lecto se proripiens, ac pedibus innixa, repente domi relicto, quodam die filiis commitata, summo manè ad S. Bartholomæi templum properavit, faustâ sui Intercessoris prece impertienda: quem ubi fortè orantem invenit, cum incommodare non ausa, sperans, quòd brevè finituro esset, & ipsa in fundendis precibus, ac Sacris audiendis tempus protrahebat, eum-

que

que genibus semper nixa prope Aram principem expectabat. Denique Canonici è Choro digressi, animadvertentes, Nobilem hanc Dominam in eodem loco, eadèmq; hora non sine ratione subsistere, ex eâ percontati sunt, quidnam desideraret: hæc, posteaquam recensuisset receptum fanitatis favorem, respondit, quòd pro se ipsa, pro marito, pro liberis, próque omni familiâ P. Alberti benedictionem expeteret, & quòd hunc solum in finem adveniens, ad eam consequendam tempus antemeridianum in expectando consumpsisset. His auditis volentes isti Patres, ne hæc Matrona desideratâ consolatione privaretur, P. Priorem monuerunt, eandem spe suâ frustrandam esse, nisi humillimum Sacerdotem juberet, ei ut benè precaretur. Qui vocatus atque rogatus, ut hoc singulari solatio feminam recrearet, ne desiderio suo justo, sanctoque defraudaretur, penitus id facere recusavit, admirans, quòd, cum alii Sacerdotes eadè in hoc casu autoritate polleant, ipse nihilominus præ aliis ad hoc

hoc

hoc ministerium obeundum eligeretur: sed obedientiâ ad bene eidem precandum coactus non absque proprio emolumento hanc virtutem humilitati conjungere voluit, proinde sub prætextu, quòd minor præsentis majori locum cedere debeat, obtinuit, ut Prior eandem primus benediceret, tum & ille solita sua devotione, quæ clarissimos charitatis radios emittebat, eam fausta precaretur: qua benedictione acceptâ Nobilis hæc fœmina a deo confortata fuit, ut sibi cœlum tum aperiri videretur, suòque cordi innumeros infundi favores, unde læta & exultans domum se recepit, laudans ac benedicens Dominum.

## CAPUT XIV.

*Alberti aptitudo, atque simplicitas cum adjunctis quibusdam particularibus.*

**M**irabantur Hebræi, quòd noster Redemptor litteras calleret, cum tamen eas nunquam didicerit: obstupescere

bat etiam mundus, audiendo, ac videndo pauperes ac nudipedes pisces, doctrinâ novâ & sensui prorsus contrariâ populos integros convertere, nescius quo Doctore eam didicissent, cum ipsi neminem alium quàm Crucifixum allegarent. Plurimi etiam hodiè que obstupescunt, dum recenseri audiunt, homines utriusque sexûs simplicissimos, solitudinis, ac Monasteriorum inquilinos ea absque Doctore pollere scientia, ad quam vix magni nominis Magistri, multo labore, sudore, ac tempore pertingere valent.

Atqui hæc admiratio aliunde non oritur, quàm quòd nesciant, Crucifixum illum, qui suis Discipulis dixit: *Nolite timere, cum steteritis ante Reges, & Præsides, &c. dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini, &c.* esse DEUM vivum ac verum, qui omnem eam sapientiam, quam volebat, ipsis infundere, & cuicumque vellet, impertiri posset. Et quisnam fuit Prophetarum Magister, qui tot, tantaque sciverunt ac dixerunt? Qui omnes supergrediendo cœlos, & in ipsum terræ centrum

trum penetrando præterita viderunt, præsentia sciverunt, & futura præcognoverunt, mundoque manifestârunt? Quis, inquam, fuit, nisi ipsiusmet DEI Spiritus? Unde Apostoli doctrinam illam hauserunt, quâ, ab ipsis linguâ, ac calamo promulgatâ, Orbem universum in unâ scientiâ veritatis, ac salutis erudiverunt, nisi à Crucifixo? Quis linguas fecit disertas tot adolescentium ac puellarum, quando in ipso Martyrii fervore potuerunt, ac sciverunt confundere eruditissimos crudelitatis diabolicæ ministros, & haud paucos illorum ad Christi fidem adducere, nisi Christus ipsemet? Tot Confessores, unde mysteria profundissima cœlestis doctrinæ, veluti constat de D. Bernardo, deque innumeris aliis, desumpserunt, nisi de Spiritu sancto? Quis donum prædicendi futura antiquis infudit Sybillis, & quis tot Feminas ac Virgines sanctas cœli scientiâ, quemadmodum in earundem Vitis habetur, imbuit, nisi idemmet Spiritus sanctus? Quis demum ætate nostra Reverendam Matrem Baptistam Vernacciam Congre-

ga-

gationis Lateranensis Genuæ in *Monasterio Gratiarum* à perpetuo præter nobilitatem rigore Observantiæ Regularis *celeberrimo*, Canonicam Regularem illuminavit radiis lucidissimis Mysticæ Theologiæ, cujus magna composuit volumina, quæ publicata, quotquot ea considerant, in stuporem rapiunt, & admirationem, nisi JESUS dulcissimus illius animæ Sponsus? Si & ego jam dixero, quòd noster Albertus ab eodem Spiritu sancto haurire potuerit eas doctrinas, quas ab hujus mundi Doctoribus minimè acceperat, nemo idcirco miretur: siquidem continuis inhærens contemplationibus, ipsimet unitus DEO, quis inficias iverit, quin ab hac Divina unione tantum fuerit illustratus, ut lecta non solum intelligeret, sed etiam occasione oblatâ responsa daret plena sapientiâ, atque doctrinâ: si in conversatione humana usu venire solet, ut, cui cum Sancto familiaritas, & consuetudo intercedit, Sanctus etiam evadat, & vicissim, qui assuescit perverso, perversatur, an non quoque sapiens fiat, qui cum  
ip-

ipsâmet Sapiaentia Christo Servatore nostro consuecit?

Desinant itaque illi mirari, qui Albertum idiotam esse existimârunt, eò quòd non in Sapientum hujus sæculi scholis fuerit versatus, nec visus sit multum in Cella libris operam dare: vel doctrinæ suæ nullum in Monasterio specimen ediderit, cum tamen probè nobis constet, quòd data occasione, cum minus facere non posset, quàm ut sententiam suam declararet, præclara omnino in medium proferret. Supra jam audivimus, quam solida fuerit, ac sancta circa materiam extasi responsio R. D. Ghelino data. modo, si videbimus, quæ ex improvisis cras Litteras urgente necessitate tractasse sciverit, cessabit profectò opinio, quòd hoc puncto fuerit tam simplex, quemadmodum in rebus mundanis erat, quæ omnes infantili simplicitate suspiciebant, tamen si eas parùm admodum videret, minus de ipsis audiret, & planè nihil in eadem versaretur, ita ut omnium, quæ mundum respiciebant, voluntarius esset, ac

piet

pietissimus Idiota: quam ignorantiam magnâ cum prudentiâ acquisivit, ad hoc ut in suis contemplationibus cum DEO magis esset unitus: nec enim quidquam ita mentis distractiones in meditationibus ac orationibus promoveret, quam rerum sæcularium varietas, atque cognitio, qua occupatus admodum inhabilis ad spiritûs exercitia redditur, veluti talia experti id probant.

Habuit Albertus per triennium integrum Abbatem quendam, cui per sæpè cum ipso colloqui collibitum fuit: fortè cum die quodam de facilitate, & difficultate salvandi se, simul sermocinarentur, Abbas in ipso colloqui cursu ex eo quæsit, quidnam præligeret, si in eius esset electione pauperem pro DEI amore esse, vel divitem, ut pauperibus stipem propter DEUM elargiri posset. Ad quæsitum mox Albertus: *Punctum hoc, aiebat, decidi, quando mundum deserui cum eo modico, quod habui, & cum illo superabundante, quod ipse mihi polliceri poterat, ut pauperem ac nudum JESUM meum sequerer. Quid?*

L

sub-

subintulit Abbas, largiorem ipsi loquendi  
daturus occasionem. *an non constat ex sa-*  
*cris litteris, beatus esse magis dare, quam*  
*accipere? si res ita se habet, an non diviti-*  
*in pauperes distribuenda in electione pauper-*  
*tati, quo titulo à divitibus eleëmofyna acci-*  
*pitur, præponenda erunt? Hac omnia, re-*  
posuit Albertus, *in divitibus locum habent,*  
*qui longè amplius merentur in faciendis*  
*eleëmofynis, quàm non mereantur in iis re-*  
*cipiendis pauperes non voluntarii, quorum*  
*omne lucrum non in alio consistit, quàm in*  
*modico panis frusto, vel alia, quam accipiunt,*  
*re, quæ prorsus temporaria est: at verò, cum*  
*diviti compensatio cælestis promissa fuerit,*  
*longè amplius recipit, quàm elargiatur.*  
*illo, qui spontè paupertatem amplexus est,*  
*contrarium accidit, siquidem iste iis, que*  
*possidebat, relictis, ut Christum sequeretur,*  
*locò boni temporarii accipit centuplum et ter-*  
*num à Salvatore promissum, uti ex ipsa eius*  
*doctrina Juveni cuidam tradita constat,*  
*vis esse perfectus, vade, vende omnia, que*  
*habes, & da pauperibus, & habebis the-*  
*saurum in cælo, & veni, sequere me:*

elare  
peta  
que  
Christ  
gent  
pauper  
suos, se  
tarios  
cat:  
tiis ser  
ris cæ  
demon  
ac Disp  
eleëmo  
probu  
tum, h  
alium  
fecit, q  
stri Ev  
rum cæ  
Ver  
positur  
author  
Abbas  
tatem,  
cl

clare apparet, quod noster Redemptor paupertatem voluntariam divitiis anteponat, quae idcirco pauperibus distributa, ut quis Christum pauperem sequi valeat, alicui ingentem in caelo thesaurum comparant, cum pauper Christus nolit divites habere sequaces suos, sed solum pauperes, & quidem voluntarios, ut eosdem secum in paradysum deducat: hinc ut nos doceret, quid nos de divitiis sentire oporteat, comparatis cum thesauris caelestibus, ipsemet egregia praxi nobis demonstravit, quando nimirum Ministrum ac Dispensatorem eorum denariorum, qui ex eleemosynis colligebantur, constituturus, reprobum elegit vitio avaritiae contaminatum, hominem impium, ac proditorem, nec alium suorum Discipulorum huic officio praefecit, quippe quod jam essent destinati Ministri Evangelii, & Dispensatores Thesaurorum caeli.

Verum post multos discursus circa propositum thema, zelo Alberti repletos, & auctoritate sacrarum litterarum firmatos Abbas ad aliud argumentum circa facilitatem, & difficultatem salvandorum, qui

cæteris præfunt, transiuit. Respondit D<sup>ni</sup>  
 Servus, etsi, uti adverti potuit, non nihil  
 invitus, se quondam eius fuisse sententia:  
 superiores ambulare in paradysum via ad-  
 modum secunda ac brevi respectu ingenis  
 meriti, quod sibi in cura commissorum  
 suæ fidei conquirent, & dum hoc ita sibi  
 persuasum habuisset, se bona eos suarum  
 orationum parte defraudasse: sed ubi  
 postea vidit in S. Paulo, quòd, ubi de mer-  
 cede agit, certam adjungat eandem pro-  
 merendi conditionem, dicens, *qui bene  
 præfunt Presbyteri, duplici honore digni  
 sunt: & quòd, cum Spiritus sanctus, Sap.  
 6. illis, qui malè gubernant, minetur sup-  
 plicium, absque alia malè se se gerendi con-  
 ditione adjunxerit, quoniam iudicium de-  
 rivissimum in his, qui præfunt, fiet, se eisdem  
 majorem precum ac sacrificiorum co-  
 piam communicasse, quatenus illis in su-  
 stentando gravi regiminis onere adju-  
 mento esset.*

*Nam, pergebat ille, eos omnes sine discri-  
 mine castigare, qui præfunt aliis, injusti-  
 foret, cum nec omnes semper, nec eodem me-*

do errent: existimare verò, DEO iniustitia  
labem inherere posse, execranda foret blas-  
phemia, mille digna infernis: conveniens  
proin est, ut credamus, quòd ita Spirtus san-  
ctus sine adjecta demeriti conditione loquens  
voluerit horrendis illis minis ad difficulta-  
tem benè regendi alludere, quæ cum sit ma-  
xima, fortassis ideò S. P. N. Augustinus indu-  
ctus fuit, ut in Regula suis tradita præscribe-  
ret, ut commiserationem cum Superioribus  
haberemus, dicens, unde vos magis obe-  
diendo non solùm vestri, sed etiam ipsius  
miseremini: quia inter vos quantò in lo-  
co superiore, tantò in periculo majore  
versatur.

Verùm instante Abbate, ut caussas in  
medium adduceret, quibus munus gu-  
bernandi alios, redderetur difficile, re-  
spondit, quòd quoad hoc amplior requiratur  
peritia, quàm sit sua; quandoquidem aliud  
ipse non sciret, nisi quod in Ezechiele sub  
metaphoris, & allegoriis Pastorum, ovium-  
que DEUS iniustitias exprobrat Gubernata-  
ribus, & Reçtoribus hominum sub tremen-

*dis illis minis, quæ nulli non sacrum humilitatem legenti patebunt.*

Ex his omnibus optimè colligitur, quod Albertus peritus fuerit rerum non solum ad salutem suam pertinentium, quarum semper diligentissimus investigator, et observator fuit; sed insuper tanta quoque polleret eruditione, ut quidquid legeret, id in sua conservans memoriâ, datâ occasione egregiè sciret applicare. Quod verò dein tam simplex esset, ut nesciret rationem reddere difficultatis sustinendæ onus alios regendi, mirandum non est, cum enim ipsi non esset consuetudo agendi cum hominibus hujus sæculi, ignorabat media necessaria, quæ potissimum in ipsa praxi exequendi eiusmodi munia consistunt, cum toto vitæ suæ cursu, eoque satis longo aliud non addidicerit, quam obedire, nec aliorum unquam obligationes investigârit, ipse sibi firmissimè persuasum habens, quod nemo non eisdem ad amissim, summâque cum diligentia Divinæ conformiter voluntati satisfaceret, ipse verò solus eorum, ad quæ

agen-

agenda tenebatur, negligens transgressor  
esset.

Immò tam erat ab investigando in alio-  
rum actiones alienus, ut vix suum cogno-  
sceret Prælatum: & certè si ab obligatio-  
ne eidem obediendi fuisset liberatus, etsi  
quoad hoc illum DEI loco haberet, eum  
ne quidem aliquando agnovisset; quem-  
admodum Generales, & Visitatores nun-  
quam agnoscebat, nisi quòd tempore Vi-  
sitationum cum summa animi demissio-  
ne eos veneraretur, ac impensè eorun-  
dem se precibus commendaret, ceu ea-  
rundem quàm maximè indigus; de reli-  
quo nec antea nec postea alteri apud ip-  
sos negotio se implicabat, nisi ut DEUM  
rogaret, quatenus assistente illis Spiritu S.  
Congregationem ad Divinæ Majestatis  
gloriam, omniùmque communi bono gu-  
bernarent.

Si tamen aliquis dubitaret, quì sacras  
litteras allegare posset, cum nonnisi con-  
templationibus, & orationibus fuerit in-  
tentus; scire talem oportebit, quod præ-  
ter studium, cui subinde in Cella ex libris,

L 4

quos

quos multos & bonos habebat, vacare poterat, humilis DEI Servus, officiò perpetuò legendi ad mensam, sub qua majorem partem Sacra Scriptura legebatur, sponte assumptò, tanta eandem attentione legerit, ut clarè animadverti possiet, quòd omnia magnâ accuratione consideraverit: quòdque lectione finita corporali se cibo reficiens adeò in se collectus perseveraverit, ut manifesto indicio esset, ipsum spirituales præteritæ lectionis cibum majore longè gustu ruminare, quam ex paucis illis cibis sentiret, quos sive sapidos, sive inspidos ad vitam duntaxat sustentandam assumebat.

## CAPUT XV.

### *Gratia ac Privilegium Alberti singulare.*

**I**Nter quosvis Divinos favores, vitam P. Alberti facientes mirabilem illis, qui maturè infelicem humanæ naturæ conditionem considerant, iste certè reliquos longo post se intervallo relinquit, & ad-

admiratione dignus est, quòd cum nihil non in hoc mundo contradictioni subiectum sit, inventus tamen homo fuerit, diutissimè versatus inter mortales, cujus actiones censuræ nunquam obnoxia fuerint, quique suos vitæ dies verâ sinceræ bonitatis laude terminârit, cujusmodi omninò fuit Albertus. Hujus autem admirationis fundamentum isti humanitatis nostræ ordini inniti videtur, quòd scilicet mortalium actiones plerumque examinentur ad regulas à justitiæ regulis admodum diversas. Siquidem plerumque ordinariæ, ad quas trutinantur, & expenduntur, à nostris passionibus proveniunt, quæ sunt fori, istius mundi, iudices ordinarii: quivis namque per seipsum, dum aliquid ad judicandum occurrit, personam accusatoris, ac iudicis, immò etiam frequenter & testis sustinet, cum alium laudat, & semper absolvit, alium vituperat, & semper condemnat, alium laudat, & vituperat, absolvit, & condemnat, dummodo id in suum emolumentum cedat.

L 5

Nunc

Nunc verò iudicium istorum, quibus domus, familiæ, plateæ, fora, & palatia, ac verbo, omnia loca ab hominibus inhabitata & frequentata replentur, possibile non est effugere notam censoriam, nec hætenus ullus mortalium eandem effugit, nec deinceps effugiet, utcunque deinde justificata sint, vel justificanda essent opera, vel dicta cujuscunque: non certe homines sanctitate inclyti, qui ab his iudicibus extremas persecutiones ad mortem usque perpessi sunt: non homines pietate insignes, hi enim humanarum passionum, scopus sunt: Non Principes, hi enim, utcunque legum sint conditores, & eas judicialia subsellia insidentibus observari præcipiant, humanarum tamen passionum glossis, ac censuris, velint, nolint, subjiciuntur: verbò hinc, nec boni, nec mali, nec sapientes, nec insipientes, nec divites, nec inopes eximuntur: nam cuique suus est iudex, immò tot iudices, quot hominis actiones: si fugiat unum, impingit in alium: unus si te laudabit, alius te vituperabit, si te unus absolvet,

alter te condemnabit, si unus te diligar,  
alter odio te prosequetur.

Sed quòd benedictus DEI Servus Albertus ab eiusmodi iudicibus, eorùmque iudiciis fuerit exemptus, ad quod discursus præsens respicere videtur, id equidem dicere non ausim, nec aliquando dicturus sum: hoc enim si affirmarem, non solùm cunctis huiusmodi hominibus, ac ipsis Cœlitibus anteponebam, sed insuper quoad hoc singulare privilegium supra ipsummet Christum Servatorem nostrum collocarem, qui ab invidia & odio, ordinariis huius mundani fori iudicibus, fuit iudicatus tanquam *seductor & demoniacus*, tandèmq; ad mortem ipsam condemnatus. Dico tamen idq; cum veritate, quòd nunquam constiterit, à quo, quando, in quo loco, & quam ob causam quodocunque tandem Alberti actiones, dum in hac claustrali eremo vixit, censurae subjectæ fuerint: quin etiam nec post eius ex hac vita ad meliorem abitum ulla lingua audita fuit, ab infernali invidiæ monstro commora, quæ vel solùm in con-

trarium sensum ab eo facta, dicta, vel cogitata detorquere ausa fuerit: immò, quæ non potius eum laudârit, sublimârit, & admirata sit ceu *Magnum DEI Servum*, quæque veluti *Sanctum* prædicârit, ei se inclinârit, & commendârit. Fuit omninò, & est inter majora istius mundi miracula numerandum, utpote res supergrediens terminos, & conditionem nostræ humanitatis etiam ab ortu in malum propensa, quòd ipse transferit grandines, & nimbos tot linguarum suis in judiciis liberarum & solutarum, cum hac gratia ac privilegio, quòd ab iis non vapulaverit, nec medicè aspersus fuerit etiam vel unicâ gutta odii, invidiæ, proprii commodi, spiritus contradictionis, temeritatis, vel quidquid denique aliud afferri in medium potest, quod vel separatum tribunal exigat, vel actionum miserorum mortalium *judicis*, sive *ordinarii*, sive *extraordinarii muneris* obeat.

Atque ex hoc argumento solo, si alia deficerent, licet præter omiſſa, tot nobis suppetant, quot hucusque recensuimus, quæ-

quæque adhuc recensēbimus, non sine magna nostra consolatione sperare possūmus, quòd Albertus sit unus è Secretariis supplicum libellorum nostrorum, nec non coram throno Divinæ Majestatis pro nostris reatibus Intercessor & Advocatus existat.

## CAPUT XVI.

### *Albertus multorum Afflictorum perfugium.*

**A**ppropinquabat paulatim ingens hæc flamma ad suam sphæram, magnus hic lapis ad suum centrum, anima ad cœlum, corpus ad terram. Ubi exactis jam septuaginta ætatis annis, in ipso, quod in mæandro experimur, verissimum esse comprobatum fuit, videlicet, quòd innumeris revclutionibus tam longi itineris à vitæ suæ fonte longiùs recederet, ac magnis itineribus cœlum versus graderetur, in se, durante viâ, colligens rivos & flumina virtutum ac operum, in immensitate  
Ocea

Oceani Misericordiæ Divinæ ditissimo tributo compariturus.

Et quemadmodum zelo honoris Creatoris sui succensus erat, ita prorsus amore erga proximum inflammabatur, pro cuius salute tam fervens erat in profundendis ad dilectum Servatorem suum precibus, ut, tanquam hoc ebrius amore aliud non attenderet, vel cogitaret: hunc in scopum omnes suas actiones, orationes, jejunia, vigilias, macerationes, suspiria, & cogitationes intendebat, rerum aliarum quarumcunque, & quod amplius mirandum erat, sui quoque ipsius prorsus oblitus: etenim præteritis temporibus, etsi surdaster signum ad mensam non audiret, nihilominus longo ex usu horâ constituta semper se ad lectionem mensæ præsentabat, sique fors citius subinde comparuisset, secedebat tantisper ad Ecclesiam oraturus, tum hora conveniente revertebat: at verò ultimis vitæ annis ita se DEO, proximique saluti mancipaverat, ut non amplius temporis recordaretur, quo ad mensam eundem erat, nisi vo-

caretur: atque tunc afflictabatur, quòd,  
ut hostem suum, hoc titulo corpus suum  
afficiebat, sustentaret, Divinas illas con-  
templationes, illam erga sibi commenda-  
tos charitatem, suavissimos nimirum ani-  
mæ suo cibos intermittere deberet. Hinc,  
quod ferè fidem excedit, afflictiſſimus  
passu lento, frontèque tristi ad corporeos  
cibos accedebat. Quod si tunc ipsi lici-  
tum fuisset, se ab hominibus abscondisset,  
ut cum DEO solo versari posset, nec id  
absque ratione: nam iis temporibus am-  
plius quàm præteritis à miseris mœrore  
oppressis sollicitabatur: siquidem cum  
pauci essent in Civitate Vicentinâ, qui  
non vel sanguine sibi junctos, vel amicos  
in nupero bello Foro-Julienſi incerto sem-  
per præliorum eventu militiæ adscriptos  
haberent, pauci quoque ab omni affli-  
ctione planè liberi numerabantur.

Eo vero tempore, quo bellum increſce-  
bat, optimus Pater à mœrore confectis so-  
licitatus haud amplius ardorem zeli sui  
moderari poterat, ita ut mirum esset, quòd  
in cineres non abiret. Ob salutem etiam

an-

animarum pretioso JESU Christi sanguine redemptarum ita erat anxius, ut nunquam cessaret bellum inferre DEO, eiusque cor amore faucium, flammarum ardentium jaculis, quæ ex accensa pectoris ipsius fornace prodibant, petere, hoc pacto isti placandum populo, ac Serenissimæ Venetorum Reip. reddendum propitium, pro cuius prosperitate, ac salute nullo non die copiosas fundebat lacrymas, quòd, uti dicebat, ab illius quiete, nostra, immò totius propenodum Italiæ, quin etiam ipsius Europæ quies derivet, quippe quod tantum corpus immutari non possit, quin alia post se trahat detrimenta: stante verò hac Rep. nos quoque tranquilla pace fruamur, in qua DEO omne laudis ac honoris obsequium deferatur, mortales maiore devotione, Divino se cultui mancipent, tum justitiâ in eadem dominante, felicem omnes, ac tranquillam omnique DEI gratiâ abundantem vitam ducant.

Interea dum DEI Servus aures Divinas die noctûque fervidissimis precibus ferit, ipsius etiam aures precibus haud paucarum

rum faminarum angore laborantium  
pulsantur, unâ pro marito, aliâ pro filio,  
alterâ pro fratre, vel amico variis belli ca-  
sibus exposito sollicitâ: & quemadmodum  
aliquis totû se se alterius salutis impendens,  
sic ille curâ ac sollicitudine se conficie-  
bat: hinc orationes ad Christum Condi-  
torem ac Redemptorem suum condupli-  
cabat, à cuius benignitate quantò magis  
exaudiebatur, tantò amplius se se humi-  
liando innocens corpus jam prorsus ema-  
ciatum affligebat: ubi, cum turbidis hisce  
temporibus pro miseris ad se recurrenti-  
bus favores à DEO acceperit, operæ pre-  
tium fuerit in honorem Divinæ Majesta-  
tis & pro consolatione nostra nonnul-  
las earum gratiarum, quæ grato tunc ani-  
mo publicatæ fuerunt, adducere.

## CAPUT XVII.

*Orat pro Infirmis.*

**H**is itaque temporibus inter alios Pa-  
tritos Vicentinos, qui in exercitu  
Veneto cum imperio præerant, fuit unus,

M

qui

qui Colonelli munere functus suo Principi serviebat, sui ipsius, Familiæ, ac Patriæ Decus & Ornamentum singulare: iste graviter ac lethaliter fauciatus Udinam deportatus fuit, Medicorum curam subiturus: iis tamen incassum medentibus, non sine omnium dolore expectabatur, donec ferales Parcæ vitæ stamen abrumperent tùm, cùm egregius iste juvenis vel maximè florere deberet, ipsòque jam initio magnam de se spem faceret.

Verùm cùm eius ad matrem isthæc nova pervenissent, dolore transfixa, animo tamen minimè concidens instar Cananæ ad medicamenta cœlestia recurrit, inque Mediatorem R. P. Albertum adhibuit, eius precibus ac suffragiis magnâ curâ ac sollicitudine filii jam jam morientis salutem commendatâ. Pro quo ubi pius Sacerdos ad Aram incruentum Sacrificium obtulit, & ardentissimis precibus Divinæ Misericordiæ supplex factus est, non solum aliorum opinione sanitatem, vitamque eidem impetravit, verùm etiam, dum maximum erat vitæ discrimen, afflictam parentem

hau

haud aliter solatus est, quàm si gratiam obtentam Divinâ revelatione didicisset, siquidem eo ipso tempore, quemadmodum postea innotuit, infirmo, stupentibus Medicis, mirabiliter auctæ vires fuere subsecutâ post integrâ quoque incolumitate. Enimverò ut quid DEI amici non possint infirmos unguibus ac faucibus mortis subtrahere, si ipsis ad eosdem ab illa jam deglutitos denuo suscitandos vires quoque suppetant.

Casu non dissimili paullo post nobilissima alia hujus Civitatis familia recreata fuit, quando alius ingentis spei Juvenis salutem suam recuperavit, qui suum Patrum Colonelli munere eodem in bello defunctum generoso animo secutus fuit, suo Principi suis servitiis se se probaturus: & hunc quoque gravissimus, isque lethalis morbus lecto affixit, cui tollendo non aliud extra gratiam Divinam remedium inveniebatur: is proin vixdum adhuc spirans Vicentiam deportari voluit supremum vale dicturus, recepturusque à dilectissima sua parente, tum quoque adju-

vantibus Ecclesiæ Ministris ad iter Co-  
 lum versus se se comparaturus, siquidem  
 hora hinc emigrandi jam jam decreta es-  
 set; interea tamen nihil intermittens, quo  
 corpoream salutem promoveret. Verum  
 mors, quæ ceu venatrix sauciatam feram  
 per sanguinolenta vestigia insequitur,  
 hunc etiam Nobilem ab se jam vulnera-  
 tum infecuta fuit, nec tamen ita clancu-  
 lum, ut medicos falleret, & ipse non sen-  
 taret, cui cum jam propemodum succu-  
 buisset, pro eius obtinenda incolumitate  
 ad preces duarum ipsius sororum sancti-  
 monialium recursum fuit, quæ firmissimâ  
 spe impetrandæ fratri suo sanitatis nixæ,  
 ad P. Albertum non neminem misere, qui  
 eidem & discrimen, in quo Frater verba-  
 retur, & ambarum desiderium exponeret.  
 Is charitatis æstu succensus eodem die  
 manè Immaculatam DEO Hostiam hunc  
 in finem litavit, Sanctissimo Sacrificio fe-  
 ventissimâ etiam precibus adjunctis. Nec  
 etiam orare desuit, donec vitæ eum peri-  
 culo exemptum esse constitit, quam gra-  
 tiam potenti ac benignæ Numinis dexte-

æ ope & interventu precum Alberti nemo non in acceptis tulit.

## CAPUT XVIII.

*Orat pro Afflictis, ac mœrore oppressis.*

**D**EUS noster, DEUS misericordiarum, qui Justitiam absque *Misericordia Comite* incedere non patitur, decrevit, ut tempore afflictionis ad paternam suam pietatem recurratur: immò ne propter Divinæ Majestatis offensam, coram ipsa comparere, & Cœlitum obtinere patrocinium diffisi in desperationis barathrum delabamur, complacuit ipsi non sine paterni amoris indicio subinde hîc in terris manifestare magnum aliquem suum Servum, ad quem utpote eisdem periculis, atque miseriis expositum in nostris afflictionibus confidenter recurrere possimus, qui dein ceu causarum nostrarum Patronus & Advocatus coram Divinæ Justitiæ throno comparens suis precibus vibratum in nostras cervices vin-

M 3

di-

dictæ gladium manibus ipsius eripiat, uti  
 multoties Moyſes pro rebellis ſui populi  
 ſalute fecit: ſic quoque miſeris hiſce tem-  
 poribus Urbi Vicentinæ P. Albertum tan-  
 quam Interceſſorem reſervavit, eum  
 mundo donans eo ipſo tempore, quo in  
 cœlum eius Advocatorum unum P. Cae-  
 tanum è nobiliſſima Thyenæorum Fami-  
 lia in eadem Urbe ortum, & Illuſtriſſime  
 nec non Apoſtolicæ Congregationis Cle-  
 ricorum Regularium Inſtitutorem ad-  
 ſumpſit, qui Filios ſuos *Divinam Provi-  
 dentiam* tanquam eorundem fiducia in-  
 exhaustum multiplicium Divinarum gra-  
 tiarum atque favorum *Ærarium* adorare  
 docuit.

Ærumnis itaque oppreſſi undique ſe  
 Alberto repræſentabant, alii per litteras,  
 per amicos alii, nec pauci in propria per-  
 ſona, ut à mundi miſeriis, quarum is lar-  
 giſſimus diſpenſator eſt, liberarentur. Ve-  
 rum cum ſolus ipſe tam multis ſatisfacere  
 omnèsque recipere nequiret, & pluro-  
 tum ob reverentiam, tum ne ſuis eum al-  
 orationibus diſtraherent, ad illum acco-  
 de-

dere non auderent, non erat in hac Canonica S. Bartholomæi Sacerdos, qui non mediatoris vices ipsum inter, & afflictos subiret, ne videlicet vel unus tanti Advocati patrocinio defraudaretur: qui die noctuque cum dilecto animæ suæ Sponso tractans pro eorum remissione peccatorum, propter quæ persæpè virgam iræ suæ corripit, & pro confugientibus ad se singulariter intercedens, ita assidue orationibus erat intentus, ut eum non immerito Seraphinis cœlestibus in D E I præsentia adstantibus assimilare potuisses: hinc ob continuum, quod per orationem cum suo Creatore habebat consortium, homo istius mundi non esse videbatur, nisi in quantum suæ secum animæ carcerem ferebat, pellem videlicet emaciatam, super ossa extenuatam, quæ sufficiebat ad eam continendam, ne ad cœlum, priusquam eò evocaretur, evolaret.

Nunc quantas ac quales gratias diversis ipse hominibus obtinuerit, ille assequi cogitando poterit, qui, quantæ efficaciam sint magnorum D E I Servorum oratio-

nes, non ignorat; ad me quod attinet, existimo, quòd permultas ac singulares impetraverit, in tabulas tamen minimè relatas, quòd, qui eas recepissent, vel non publicaverint, vel publicatas talibus manifestaverint, qui memoriam illarum facile deposuerunt, eo fortassis monito persuasi, quòd homo in vita suâ laudandus non sit: una nihilominus alterave Alberto adscriptæ, fuêre publicatæ, quæ cum in se aliquid rarum ac singulare contineant, eas supra recensitis, ob DE I solummodo gloriam, nostramque consolationem adjungam.

Ab eo, qui Vicentinæ Urbi summâ cum justitia, nec minore charitate præerat, pio prudentique consilio decretum erat, ut muralium machinarum libratores, qui tunc apud Forum Julium erant, eorundem removerentur, eorundemque in locum alii substituerentur, nimirum ut hoc pacto facilius suis familiis providere possent; & hæc permutatio singulis quatuor mensibus delectis simul viris sexaginta sorte facienda erat.

Ve-

Verùm cùm non omnes ita semper sint dispositi, suâque negotia domestica ita habeant composita, ut ad primum buccinæ clangorem, nec non primum tympani sonum in acie comparere possint, utcunque fideles suo sint Principi, eique perlibenter inservire desiderent: ita hos inter juvenis erat paucos ante menses conjugali vinculo illigatus: hujus mater perquam anxia ob filium unicè dilectum, timens ne fors etiam supra ipsum cadat, fortassis æquè cupidum domi subsistendi, atque mater id desideraverat: quare vespere quodam hæc DEI Servum convenit, ac multis lacrymis supplex illi facta est, haberet sui commiserationem, narratôque casu rogavit, ut sibi filium suum haberet commendatum, ne fors in bellum eundi in ipsum cadat & libratores tormentarium agere cogatur. Commovebatur pius Pater feminæ lacrymis, nec non desiderio filii sibi fortè jam antea cogniti, atque in paucis dilecti, utpote Juvenis à probitate commendati, quive plura huic Ecclesiæ servitia præstiterit: quare promptè geni-

M 5

tri-

trici desiderio obsecundavit, ea tamen lege, ut & ipsa DEO idcirco supplicaret. Verum Mater admodum sollicita, quemadmodum nullo non die pii Sacerdotis Alberti Sacro interesse solebat, die insequenti maternæ charitatis adacta stimulis satis maturè rediit, & ubi forte orantem reperit, ipsum denuò interpellare non dubitavit, quippe quòd eo ipso die lectio libratorum forti committenda esset; Tum DEI Servus, qui tota nocte antecedente ad Divinæ Misericordiæ portam pulsabat, sereno vultu ad eam conversa dixit, monuitque mulierem, bono esset animo, nec enim filium ad bellum istud iturum, utpote forte eo die minimè in ipsum casurâ, quod & re ipsa evenit. Quotiescunque deinde novæ per sortem instituendæ electionis tempus appropinquabat, toties mater angore afflicta ad suum Intercessorem confugiebat: hic autem semper idem asseverans aiebat, *Domini gratiam ipsi semel indultam nunquam revocaturum esse*: quod & sic evenit, duorum enim annorum spatio, quibus

bus multoties eiusmodi per sortem electio instituebatur, juvenis immunis evadens domi semper ad matris solatium, familiaræque novæ regimen relictus est, ubi hodièque optimo in statu vivit, Divinæ bonitati obtentam gratiam in acceptis referens. Hujus autem beneficii notitiam prima divulgavit Socrus prædicti Libratoris tormentarii, siquidem illa Feminam juvenem vicinam ejulantem ac plorantem aliquando videns, cum fletûs hujusce causam ex ea quærivisset, respondit illa nec sine dolentis animi gemitu, quod maritus suus ad S. Ædem Loretanam peregrinatum iverit, instituto per mare Venetiis Anconam versus itinere; &, quoniam mensis integer jam lapsus esset, ex quo nullo non die infaustissima nova audirentur de multis navibus, plurimisque viatoribus, fluctibus ob continuas tempestates, quibus Anno M. DC. XVII. mare infestabatur, haustis, ac submersis, nihil verò de marito suo ex peregrinis in patriam redeuntibus inaudiret, doloribus & anxietatibus se circumfluere, & inconsolabiliter af-

af-

affligi affirmabat. Altera hoc intelligens  
 revocato in memoriam generi sui ad in-  
 tercessionem P. Alberti recurſu, efficaci-  
 bus eidem rationibus perſuaſit, ut eius-  
 dem quoque DEO tam grati amici inter-  
 ventu uteretur. nec ſurdis hæc auribus  
 occinuit, confestim namque in ipſo con-  
 ceptæ ſpei fervore hanc ſuam conſultri-  
 cem ad Albertum ablegavit, quæ dein al-  
 tero die manè ad S. Bartholomæum com-  
 parens cùm DEI Sacerdotem ad Sacra-  
 rium euntem, mox ad Aram facturum re-  
 periffet, & caſum afflictæ feminæ melio-  
 re, quo poterat, modo, expoſuiſſet, ut ad  
 commiſerationem eum flecteret, demum  
 quoque rogavit, ut illud Sacrificium, ad  
 quod ſe præpararet, in hunc effectum Di-  
 vinæ Majeltati offerret.

Non fuit piæ illi Matronæ difficile, cor  
 illud commovere, quod in amore proxi-  
 mi planè erat colliquefactum: ſiquidem  
 mox ad eius instantiam Sacris operatus,  
 finitâ Miſſâ denuo ad Eccleſiam ſe contu-  
 lit, conſuetis devotionibus daturus ope-  
 ram: ubi mulieri anxie præſtolanti ob-

vi-

viam factus suaviter eidem insinuavit,  
exauditas utriusque preces fore, ac mari-  
tum paucos intra dies domum rediturum:  
*Tu verò, subdidit, eandem solare, & ambæ  
pro me peccatore intercedite: tum piæ fe-  
minæ stipendium pro Sacro locò alterius  
exhibere volenti aiebat, retineret ipsa suū  
argentum, sibi sufficere, si preces ad DEUM  
pro se funderentur.*

Solari se passa est afflicta conjux tantâ  
cum effectûs securitate, ut sibi ob impa-  
tiens desiderium lentior solis cursus vide-  
retur, quasi dies suum in damnum fieret  
productior: enimverò non diu habuit,  
cur hanc incularet tarditatem, nam sub  
idem tempus litteræ tot votis exoptati sui  
mariti advenêre, quæis significabatur,  
quòd jam Venetias vivus & incolumis at-  
tigisset, brevì quoque sua eam præsentia  
exhilaraturus: qui demum redux do-  
mum, certitudine, quam uxor de eius sa-  
lute, deque festinò reditu interventu  
precum P. Alberti habebat, intellectu, tam  
pia occupatus admiratione fuit, ut in opi-  
nionem, quòd P. Albertus nostrâ ætate in-  
si-

si-

signis esset DEI Servus, confirmatus fuerit.

## CAPUT XIX.

*Orat pro suâ Canonica.*

**P**Aulatim oleum magno huic lumini defecerat, ita ut in dies adaucta eius zeli, eximiaque charitatis flamma signum evidens esset, quod finis eius vitæ appropinquaret, cum offensas DEO illatas, uti & proximi ærumnas, à quibus nullo non die miserè afflictabatur, porro sufferre nequiret. Priusquam verò benignissimus DEUS Albertum ad suorum præmia laborum evocaret, videbatur, postremo hoc eius peregrinationis anno maximam huius Altissimi Servi sui erga dilectissimam suam Matrem S. Bartholomæi Canoniam, nosque charissimos Confratres suos manifestam facere voluisse charitatem.

Æstate obitum Alberti nostri antecedente agri multiplici grandine fuerunt infestati, ita ut pauci circumjacentis Regionis

nis pagi inde eximerentur: hinc cum nostrum S. Bartholomæi Collegium sua prædia ab se invicem disjuncta, & hinc inde dispersa habeat, sicuti fulmina, tonitrua, densissimæque nubes à ventorum impetu agitatae miseris agricultoribus ingens damnum minitabantur, spemque exoptatae messis præcidebant, ita non minus nostris possessionibus ultimam ruinam intentabant. Quare piissimus Pater & Frater noster Albertus ad commiserationem adductus, quoties fulgura ac tonitrua eiusmodi calamitatum præcursores oculos perstringebant, auræque pulsabant, mox ad pedes sui Salvatoris confugit, ferventissimis eundem precibus obtestatus, quatenus hanc Matrem adeo charam sibi, utpote à qua quinquaginta & amplius annis multo cum amore in charitatis ipsius sinu, acceptis ab eadem optimis serviendi Divinae suæ Majestati rationibus enutritus fuerit, indemnem servaret ab istis tempestatibus, & conglaciatis illis lapidibus, quibus è sublimi decidentibus non validius scutum, quàm Divina ac  
cle-

clementissima eius dextera opponi nequiret.

Nemo non absque singulari consolatione secum ipse pensitaverit, quòd tunc Divina Bonitas hujus Servi sui vota semper exaudisse visa fuerit: nec enim prædia tantum, & agri nostri nullam accipere labem, sed præterea quasi manifestum hujus signum fuit, quòd instante precibus Alberto suæ erga nos misericordiæ viscera DEUS opt: aperiret: siquidem tempestates tanto furore confines nostris terras impetebant, ut miseris illis agricolis nihil superesset, nisi ut in locum messis segetum, singultus & lacrymas colligerent, cum interim agri nostræ Canonice ne in ipsis quidem extremitatibus attingerentur, quasi confines agri limites forent stragium, quibus vicini perquam infelices consumerentur, DEI nimirum Angelo illis prohibente, ne ulterius grassarentur.

\* \* \*

CA.

## CAPUT XX.

*Albertus morbo corripitur, suumque  
prædicit obitum.*

**T**Andem piissimus Albertus rectâ illa  
via, per quam DEUS ipsum deduxit,  
suum ut illi Regnum monstraret, in eâque  
militia, in qua hæctenus legitime certans,  
à justo Iudice coronam justitiæ expecta-  
verat, ad finem tendens, per jocum iden-  
titem dictitabat, oleum suæ lucernæ con-  
sumptum, suæque vitæ ellychnium ab-  
sumptum esse, quod quidem nemo non  
advertere poterat ex illo extraordinario  
splendore, cujus supra meminimus, nec  
non è nimio accelerandi desiderio ad in-  
star illius, qui littori adstat expectans, do-  
nec ad securum aliquem portum trajicere  
queat: qui ubi ventum sibi propitium  
sentit, in navem, quidquid charum habet,  
ac pretiosum, transferre festinat, parvi vel  
nihil faciens, quæ remanent, & itineri fa-  
ciundo impedimento sunt. Talem pror-  
sus se P. Albertus exhibebat imminente  
ab hoc terreno littore, ab hoc mundi

N

Ocea-

Oceano ad Cœli portum, Superûmque Regiam discessu.

Omnibus itaque ab se abdicatis, quæ vel unico momento ab hoc tam felici, totque votis expetito transitu remorari poterant, dies noctesque non aliud magis curabat, quàm quî suas cogitationes, suum fervorem, omniâque opera sua colligeret, ceu ditissimas pro DEI Regno merces cœlo secum illaturus.

Interiùs tantùm non in cineres abibat, exteriùs verò solitò Divini honoris, ac charitatis proximi zelo languere videbatur, quibus etiam tandem ad extrema perductus fuit. Siquidem mentis laborans anxietate, & charitatis exæstuans flammâ semper sui in conspectu Domini stabat, ut misericordiam peccatoribus, veniamque noxarum, quibus Divina Majestas offendebatur, obtineret, probè conscius, quòd hunc in finem & pati, & mori in cruce voluerit.

Sed ecce Albertus ita in DEI, proximi- que obsequium animò promptus, subito hyemali asperrimòque gelu, quo omnis

illa Regio quasi in glaciem indurescebat, occupatus, nocte quadam decimum octavum Januarii diem insequente sinistra valetudine correptus fuit, & ex Ecclesia in Cellam secedens ita frigore obriguit, ut illum ea nocte calefieri possibile non fuerit. Quare manè ad focum accedens, superveniente febris, cum omnium nostrum animus fuerit eum in lectum deducendi, ab suo fervore adactus ad Ecclesiam confueris orationibus, spirituque exercitando daturus operam, nobis insciis se contulit, inde ad Cellam reductus, in lectum præparatum probè, ut videbatur, calefactus incubuit: at nihil febris remisit, nec idcirco frigus abcessit, quippe, quod exangue illud corpus sui jam juris fecerit.

Ergo sequenti die, qui Sabbatinus erat, ex omnium consilio fuit in Valetudinarium translatus, ubi adhibitis fomentis aliisque remediis ipsi succursum fuit: cum vero ad locum infirmis deputatum deduceretur, obvios habuit binos adolescentes, qui ad Aram facienti suo ministerio assistere solebant, tum autem ipsi compa-

tiebantur: hos cernens, suaviter ad obse-  
 vantiam DEI sanctæque Ecclesiæ præ-  
 ceptorum adhortatus est, uti & ad Divi-  
 num amorem, propter quem nullo tem-  
 pore vel tales, vel etiam majores animi  
 corporisque dolores ipsis recusandi essent,  
*quoniam, aiebat, sunt illi quaedam quasi*  
*blandimenta, quibus JESUS fideles sibi ani-*  
*mas ad se allicit, ceu quodam prægestu tor-*  
*mentoribus illorum, quæ pro nobis in hac vi-*  
*ta sustinuit.* Subjunxit deinde eosdem  
 confortans, quòd brevì hisce ærumnis ef-  
 fet liberandus, *ab suo enim Conditore ex-*  
*hujus mundi calamitatibus secuturo Mercu-*  
*rii die se eruendum, interim verò pro se præ-*  
*carentur.* Quod ipsum ipso obitûs sui die  
 P. Oecono prædixit, Medicum advo-  
 care volenti, verbis efficacibus subdens,  
 quòd hoc nil aliud esset, quàm temporis  
 jacturam facere, & nobilem illum virum  
 sine justa causâ propter inutile corpus  
 brevì vermium escam futurum inquieta-  
 re. Supervenienti autem Priori, qui Me-  
 dicum vocari statuit, dixit, *saltem pro tunc*  
*isthoc labore supersederet, se, si eius vocandi*

tem-

*tempus esset, jam moniturum*: fortassis inde volens inferre, quòd tunc eum in manibus Medici spiritualis constitutum visuri essent, sacro Viatico communiendum. Sed tandem Obedientiæ se submittens, contentissimus ad omnia fuit, quæcunque tunc disponebantur.

## CAPUT XXI.

### *Gravissimos dolores patitur.*

**A**D innumeras gratias à Divina pietate huic humillimo & fidelissimo suo famulo concessas videbatur etiam adjungenda gratia Martyrii ab ipso tam ardentè desiderati, ut ob defectum Tyrannorum ipsemet durus semper ac sævus in corpus proprium multiplici afflictione, pluribusque tormentis extiterit. Verùm ut & hujus coronæ aliquousque in Cælo particeps fieret, benignissimus Servator noster permisit, ut tanquam amicus suus amarum infirmitatis longè gravioris, quàm homo quispiam tolerare possit, hauriret calicem, Divinâ indubiè gratia ad-

jutus ad id perpetiendum, cui cæteroqui natura ferendo minimè esset.

Comparuit itaque Medicus, qui Albertum vehementissima febris conflictantem, nec non genuum alterò igni sacro correptum, qui dein per totum corpus se dilataverat, invenit: ad hæc virium robore adeò destitutum comperit, ut nemo dubitaverit, quin sub ipsa etiam medicamentorum applicatione defecturus esset, ut proin nonnisi cordialia pharmaca, nec non certæ unctiones in genu adhibendæ fuerint: quæ omnia libens volens acceptavit admiratus tamen, quòd in prolonganda exanguis vilissimòque corpusculo vitâ, quod nonnisi impedimento est animæ, quominus Divinis contemplationibus vacare, desideratissimòque Sponsi sui amplexu frui possit, tanta adhiberetur industria. Erat sanè ipse adeò suo corpori infensus, ut aliquando, multis tamen antè annis, inflammatione adeò vehementi caput occupante, ut de eius vitâ desperatum fuerit, omnibus fortè quieti indulgentibus, ipse spiritui carnem sub-

ju-

jugans, eam è lecto illata vi protraxerit, ac genua nudæ humo infigens coram Crucifixi imagine in oratione longissimâ detinuerit: in hoc corporis situ ubi Medicus eum offendit, tantopere fuit obstupefactus, quòd in gravi illo ac violento morbo se regere posset, ut tandem quid aliud inde concluderet, prorsùs ignarus exclamaverit, quòd Divina manus eum fulciret, cùm id naturæ viribus possibile non esset.

Sed ad lectum regrediamur, in quo ipsum reliquimus, adeò acerbè à doloribus habitum, ut clarissimum Christianæ patientiæ testimonium præbuerit, quippe nonnisi in Psalmis decantandis aliisque precibus fundendis occupatus. Hinc si quispiam ipsius misertus ex eo percontaretur, ubinam & quàm graviter doleret, illicò instar alterius Jobi respondebat: *Sit Nomen Domini benedictum, melius, ac mereor, mihi esse sentio.*

At quid dico? Non solùm hæc tormenta tantum efficere nequibant, ut Albertum in sufferendo patienter illorum acerbitatem

tem dolorum debilitarent, & ab oratione vocali impedirent, ut ne vires quidem haberint eum in rebus etiam accidentariis non tamen alienis à DEI amicis immutandi, nec enim ab his abest decorum eminenti eorum statui conveniens: siquidem quoties invisibatur, licet vix quidquam spiritûs ipsi superesset, caput detegebat, sique invisens esset Sacerdos, ultimus, qui teget, esse volebat: adeò nimirum DEI Sacerdotes venerabatur. Si verò coram aliis se detegebat, cujusvis respectum certo modo observare videbatur. Ne autem invisentes se aliquod è frigore incommodum subirent, brevè his ac similibus verbis suaviter expediebat: *DEUM pro me orate, &, queso, vos ad focum calefacite*: nec id ipsum reperere desinebat, donec eos ad focum se conferre videret: tum mox Divinum officium, sive preces ac Psalmos per visitationem interruptos resumebat.

Certè eorum in animis admirationem ciebat, & commiserationem, qui, quantos dolores, quantave subiret tormenta, cernebant, dum interim nec gemitum  
ipse

ipse emitteret, nec questibus auras imple-  
ret, ut subinde homines non ex lapide  
concreti, sed carne macerati factitare so-  
lent, sed instar æreæ alicujus statuæ nec  
minimum doloris signum edebat, nisi  
quod interdum interroganti Medico, vel  
ungenti se reponeret, sentire se quidem  
dolores admodum vehementes, illis ta-  
men nullo modo similes, quos noster Ser-  
uator in sua Passione fuisset perpeffus: &  
nihilominus tam atroces erant dolores,  
ut cum lecti operimentum corpori in-  
cumbens sufferre nequiret, aliquot vir-  
gas tam oblongas, tamque solidas præbe-  
ri sibi curaverit, quantum ad tegmen al-  
tius attollendum sufficiebat: interim in  
quem id finem faceret nemini, nisi soli  
Priori, id scire cupienti dicebat.

In hoc statu dum erat tota die Domini-  
câ, & duabus feriis inequentibus, in qui-  
bus vis morbi gravior invaluerat, nun-  
quam a Divino officio, ac consuetis ora-  
tionibus Psalmisque recitandis cessabat,  
nisi fuisset ab se invisentibus impeditus:  
in quibus visitationibus id duntaxat ani-

mo volvebat, quî citò ab illis expedire se  
posset, idque stimulante sic eum charitate  
tum erga proximum, ne ab asperrimo illo  
frigore damnum ipsi accerferetur, tum  
erga seipsum, ut hac ratione melius cum  
amantissimo suo JESU versaretur, & cum  
Divina eius Majestate de maximi mo-  
menti negotio, quod propriam respicie-  
bat animam, pertractaret. Ea ipsa nihil-  
ominùs inductus charitate, se invisenti-  
bus, cujusvis conditioni conformiter, qua-  
si alicujus testamenti locò, quoddam salu-  
tis monitum dabat: tunc verò tam effi-  
caciter, tamque suaviter loquebatur, ut  
uberes audientium ex oculis lacrymarum  
profluerent, quemadmodum duo juvenes  
ad ipsum à piis Matronis ablegati earum  
nomine invisendum experti sunt, qui dul-  
cedine, & efficaciam sanctorum eius docu-  
mentorum emolliti ubertim in lacrymas  
proruperunt, nec ob crebros singultus  
supremum vale ipsi dicere po-  
tuerunt.

## CAPUT XXII.

*SS. Sacramentis providetur, cum morte luctatur, ac demum moritur.*

**T**Andem Favonius tantoperè desideratus, quo suum navigium ad portum proveheret, spirare cœperat. nihil certè sic querebatur, quàm moræ tarditatem: videbatur certo quodam modo in quavis aliâ re Divinæ se voluntati longè libentiùs ac in ista, quòd tam diu in hujus mundi exilio subsistere cogeretur, submittere. Quapropter ad hoc iter ritè instituendum cœlesti SS. Sacramentorum viatico muniri cupiebat, illâque percipiebat ea devotione, quam admirari quidem, sed non referre possumus, præsertim si describendum sit, quomodo coram Altari Assumptionis DEIPARÆ Virginis se habuerit, jam jam ad extremum luctamen sacro oleo inungendus, & quàm plenissimis affectu ac devotione verbis suum eius recipiendi desiderium expresserit. Verùm ob summam venerationem, quâ erga SS. Eucharistiæ Sacramentum affi-

cie.

ciebatur, plurimum dolebat, quòd se non in Ecclesiam transferre posset, sacro in eadem Viatico pascendus: & tametsi ad id faciendum corporis illum vires deficerent, animæ tamen viribus minimè destitutus tranquillari non poterat, & admodum tristabatur in permittendo, quòd suus Dominus ad se venire deberet, & is ipsi saltem obviare non posset? sed persuasus & confortatus, ut eum in lecto exciperet, eo ipso manè sacrum hoc Pignus tanta pietate ac Religione sumpsit, ut, cum eam explicare nequeam nisi lacrymis perfusus devotos ipsius affectus recogitando, ad eius è vita excessum enarrandum properare cogar.

Suprema itaque illa nocte diem Martis insequente evenit, ut eius orationes, ac contemplationes subinde à superveniente delirio interrumparentur, & quantumvis crebrò id fieret, nihilominus isthæc deliria mirabiles quosdam de DEO sensus continebant: sed non mirum, cum cor ipsius, phantasiam, aliasque animæ potentias nemo alius, quàm ipse DEUS

occupârit: hinc quidquid cogitabat, loquebatur, somniabat, si deliria patiebatur, omnia de DEO erant, in cunctis Servorum suorum actionibus nunquam non mirabili. Sed quoniam, sicut illa deliria tunc præsentibus arrisere in considerando habitus illes, in quibus hæc anima benedicta erat exercita, ita non minus lectoribus quoddam spirituale gaudium conferre poterunt, unum tantummodo proferam in medium, ceu aliquod reliquorum omnium specimen.

Sub delirio itaque ea nocte satis longo, licet interrupto, de rebus majorem partem Divinis, assistentem sibi, ad lectum advocans rogavit, curaret, ut duæ particulæ consecrarentur, velle enim se in honorem SS. Martyrum Vincentii & Anastasii, quorum Festivus dies agebatur, utramque sumere: & hoc pacto noctem integram infumebat assidue circa SS. Eucharistiæ Sacramentum versatus, tametsi interruptim, nec aliam quietem captabat. Verum manè ingenti stimulatus fame Cibum Angelorum, instanter supplicabat, ut

SS.

SS. Sacramentum apportaretur, precibus aliquod delirium immiscens, at nunquam solitæ pietatis ac devotionis orbitam exerrans: ceteroqui nunquam non illi, qui cum ipso tractabat, appositè respondebat. Mihi verò animos addenti, quòd Viatico jam sumpto, Communione spirituali contentus esset, reposuit, verissimum quidem esse, huic communicandi modo plurimum inesse virtutis, non sine animæ profectu, eum tamen Communioni sacramentali, in qua unigenitus DEI Filius nostrâ causâ *Homo factus* perciperetur, nullo modo æquiparari posse.

Post hæc non nihil acquiescere visus est, quòd jam priùs Obedientiæ dispositioni se se omnimodis subjecerit: at qualisnam illa quies esset, mox adventante Medico apparuit: qui vicinus lecto pulsus experimentum capturus animadvertit, quòd agone jam incipiente horribiles, acerbissimòsque dolores erysipelatis, nec non mortis imminentis sustineret, & quidem graviores, quam homo moribundus subire possit: quum Medicus instaret, bra-

chi-

chium ut ipsi porrigeret, agonizans voces articulatas non ampliùs promere valens, manu signum dedit, tempus pulsùs investigandi jam expirâsse. Ubi præsens ego, cùm me lateret, quo meliore modo ipsi solatium afferre possem, utpote quòd auditu, deficiente propter infirmitatem naturâ, nihil ulteriùs percipere posset, omnium optimè facturum me existimavi, si iconem pendentis è Cruce Servatoris basiliandam illi porrigerem, cujus intuitu collectis mirandâ spiritûs vehementia viribus, manibus expassis, oculisque ubertim lacrymantibus in hæc verba singultibus ac suspiriis interrupta prorupit.

*DEUS meus quanta cum benignitate ad peccatorem plenum iniquitatibus appropinquas? Et quanta cum misericordia in animam meam tot tantisque sceleribus commaculatam intrare dignatus es? Fac mi Domine flagellum, & eam à spurcitiis, quibus est contaminata, emunda, quemadmodum Templum sanctum flagello Tue Omnipotentiae mundasti, ut possim cum Propheta dicere: Virga tua, & baculus tuus ipsa me con-*  
la-

lata sunt. *O Crux! o flagellum! O DEUS meus! Crux durum juxta ac crudele lignum, flagellum iniquum & acerbum: vos pretioso Servatoris mei fuistis emollita sanguine, per hunc cruorem mihi solatium attulistis. Pauci, quos perfero, sunt dolores: hos, DEUS meus, adauge, si possibile est, immensis illis doloribus, quos pro me supra hoc Crucis lignum, & sub hac clavorum virga perpeffus es: à quibus angores mei pleni dolorum, robur sumentes me ab omni maximorum peccatorum meorum maculâ purgabunt: atque tunc anima mea sic purgata & mundata securè coram Throno Tuae Misericordie comparere, & in æternum cantare poterit, Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.*

Hæc dicens tacuit, ac sacratissima manuum, pedum, & lateris vulnera deosculatus in tantæ devotionis & compunctionis actu perseveravit, ut, quotquot præsentibus aderamus, oculos à lacrymis cohibere non potuerimus.

Paullò post cibum sibi oblatum sumpsit, & denuò quieti indulfit. at quia suffi-

ci-

ciens signum cœpti jam agonis aderat, ab ipsius lecto non amplius discessimus, precibus, quibus ad hunc transitum contraferos hostis humani generis insultus ipsi adminiculo esse possemus, insistentes: cum ecce subito manus in altum attollit, ac simul jungit, aperit oculos, & cœlum versùs levat, orèque ridentis in morem conformato, nescio, quid læti profari vellet videbatur: aliud tamen, utcunque conaremur, intelligere non fuit possibile, nisi Sacratissimum MARIÆ Nomen, siquidem fauces jam impeditæ liberum loquellæ transitum minimè permittebant.

Verùm quoniam, quæ tunc accidere, plurimam colloquiorum materiam nobis subministrabant, nullus ambigo, quin pius Lector non parùm emolumenti sit etiam haustus, si consideret, quantum animæ suæ profectum promovere possit, si spem omnem in DEI misericordiam, ipsamque Misericordiæ Matrem Sanctissimam Virginem MARIAM reponere velit; verbò, tantam nos inde consolationem percepimus, ut ea ad moderandum

O

do-

dolorem, quòd eum simus perdituri, eiusque in istis vitæ hujus ærumnis præsentia privandi, suffecerit. At denuo in quietem compositus, brachiis in Crucis formam pectori impositis, facièque cœlum versus sublata benedictam animam suo transmisit Creatori tanta quiete, ut præsentium vix unus id animadverterit.

Prætereundum non est, quod notatum dignum videtur, nimirum, quòd eo ipso momento, quo Albertus è vivis excessit, omnes campanæ totius urbis junctim primum ad Vesperas Conversionis S. Pauli signum dederint: id quod nemini non mirum videbatur: siquidem antea nunquam ita simul pulsari auditæ fuerunt, uti eo die contigit, quippe quòd in hac Civitate moris non sit, ut sonantibus Ecclesiæ Cathedralis campanis, aliæ per urbem pulsentur. ubi videtur, vel ipsas campanas ad illius transitum, vel, ut melius loquar, ad eius natalem, sive vitæ cœlestis principium honorandum concurrisse.

Ubi expiravit Albertus, corpus ipsius conformiter piæ Christianorum consue-

tudini fuit ablutum. Nostrum non nemo hac oblata occasione uti volebat, illud ex quadam devota curiositate denudatum intuendi, sperans non absimile quiddam, quæ de eiusmodi poenitentibus, litteris sunt consignata, se se visurum: atqui veritas plurimum nostram expectationem superavit, siquidem humeri, & ubicunque flagellum pertingere poterat, omnia striis virgata horrebant, fuitque omnium opinio, vibices illas partim antiquas, partim recentes esse: genua pellem multo obductam callo instar cameli præferabant, crassitie digitum æquante, cujusmodi de S. Jacobo Apostolo legitur, quod continuo genibus inniteretur: ut verò etiam constaret, quàm immanes dolores in ægritudine sua sit perpessus, effectus eorundem ipsa cutis exhibuit, quæ quasi undique humoris malignitate tincta viscebatur commista livori nigredine, atque adeo sic mortuus conspectus intuentes ad commiserationem commovebat; quo tamen nihil obstante occasionem laudandi DEUM ob invictam patientiam hujus

Viri, clarissimi patientiæ speculi, nacti fu-  
mus.

## CAPUT XXIII.

*Primus ad Exequias concursus.*

**Q**Uàm pretiosa in conspectu Domini  
mors sit dilectissimorum suorum  
Servorum, ipsimet subinde palam facere  
libuit. Siquidem non contentus eosdem  
in hac adhuc vita mundo venerandos  
proponere, etiam post mortem præter na-  
turæ ordinem illorum corpora intueti-  
tium oculis exhibet visu jucundissima:  
ad hæc virtute Divina, cordium nostro-  
rum magnetè, populos integros ad hono-  
randas illorum exequias attrahit, eosque  
ad tantam reverentiam, & amorem erga  
illas animæ in tuto jam collocatæ exuvias  
permovet, ut præ devotione liquecant  
eas contemplando, tangendo, indèque  
auferendo, quidquid possunt non solum  
de carne, & ossibus, sed de vestimentis  
quoque, & vilissimis, quibus cooperiun-  
tur, rebus, nimirum, ut hæc talia ipsis sint  
in

in antidotum, contra quosvis morbos, quos vel patiuntur, vel in corpore pati possunt, uti & adversus diabolicas, nec non humanas, continuas, ac mortales insidias inserviant: quibus rebus benignissimus DEUS tantam persæpè virtutem indidit, ut ad solum earundem contactum incurabiles & desperatæ infirmitates auferantur, quin & mortui quandoque fuerint vitæ restituti, veluti graves & approbati testantur Authores, & ex parte etiam in concursu ad funeralia venerandi istius Patris animadversum est, qui quidem concursus tam numerosus fuit, ut id aliunde evenire non potuerit, quàm à potentissimâ DEI virtute, quæ totam Civitatem ad honorandas has Exequias attraxit, sub quibus etiam haud pauci favores & beneficia obtenta fuêre.

Vix itaque corpus P. Alberti fuit repositum, cum ecce quidam è Primoribus Urbis è foro ab hac Canonicâ tribus ferme passuum millibus distante, quo difficulter nova de illius obitu pertingere poterant, spectatâ plurium aliorum nobi-

lium, ac militum Vicentinorum & exte-  
 norum coronâ stipatus ad illud visitan-  
 dum comparuit, quod singulari pietate  
 omnes venerabantur, & admirabantur.  
 Hos inter unus erat, qui nunquam ante  
 hac defunctorum cadavera intueri pote-  
 rat, quorum præsentiam [ quod pluribus  
 naturaliter usuvenit ] extremum abhor-  
 rebat: sed superveniens in isthoc corpo-  
 re considerando satiari nequivit, cum tam  
 ipsi, quàm aliis id, nescio, quid illiciti &  
 consolationis tanta cum vehementiâ spi-  
 rare visum fuerit, ut omnibus gaudium  
 simul ac reverentiam ingereret. Quod  
 ipsum etiam accidit uni nostrorum Cano-  
 nicorum, qui prius appropinquare non  
 potuit non dicam mortuis, sed ne mori-  
 bundis quidem, & ab Alberto nostro mo-  
 rituro, mortuove avelli nequibat, tenerri-  
 mo cordis affectu, nec non singulari men-  
 tis hilaritate eum tractans non sine sum-  
 ma id videntium, quibus ipsius natura  
 perspecta erat, admiratione. Verùm quo-  
 niam eo ipso tempore arca Ecclesiæ afflu-  
 xu populi Monasterium ad spectandum

defuncti corpus intrare cupientis replebatur, ad omnem ulterioris tumultus præscindendam occasionem necesse fuit ipsi persuaderi, ut in diem sequentem expectaret.

Itaque sequenti Jovis die, in quem Festum Conversionis S. Pauli incidit, defuncti cadaver recepto apud nos more manè ad initium exequiis faciendum in Ecclesiam fuit deportatum, ubi dictu mirum est, quantus è Civitate fuerit concursus: quod tunc omnibus stuporem incutiebat, fuit manifesta inspectantibus vultus defuncti immutatio, certam quandam venustatem acquirentis, nec non candidum, eumque vivacem colorem induentis: quæ mutatio præter summam, quam apud omnes excitârat, admirationem, spem etiam circumstantibus faciebat impetrandi à DEO gratiam aliquam Alberti interventu, uti quoque non paucis accidit. Sed quod & admirationem & devotionem deinceps augebat, ita ut pluribus lacrymæ tenerrimi sensûs ex oculis promanârint, fuit mutatio coloris labiorum,

rum, qui tam venustus, tamque delicatus  
 apparebat, quam in homine vel infante  
 vivo desiderari possit: accessit ad hæc,  
 quòd, contra ac natura, visque frigoris  
 exigit, quo cadavera defunctorum quoad  
 carnem & nervos rigescunt, ita ut corpus  
 omnis tractabilitatis incapax fiat, brachia  
 & manus, ceu viva essent, laxarentur, ut  
 que de carne fileam, qua vel carebat, vel  
 modicam habebat, cutis non aliter, ac an-  
 tequam fatis cederet, tractabilis fuerit.  
 Prodigium auxit ipsa labiorum purpura,  
 quæ, cum in cadavere sit rarius quiddam  
 Phœnice Arabicâ, si in tali appareat cor-  
 pore, miraculi prærogativâ gaudet, nec si-  
 ne ratione, cum quivis homo, cui idem  
 cum Alberto vitæ tam rigidæ tenor est, si  
 purpureus iste color in eo spectatur, ha-  
 beatur, atque colatur, dum vivit, tanquam  
 Gratia Divinæ miraculum.

Sacris funeralibus solemni ritu peractis  
 magna pars populi in templo substitit, &  
 quidem ad noctem usque nullo assumpto  
 cibo, ut sepulturæ prærens adesset: verum  
 brevè major adhuc populi multitudo su-  
 per-

pervenit, ut denuo Ecclesia eodem re-  
 dundârit, unde non solum terræ mandari  
 non potuit, sed utcunque omnis adhibe-  
 retur industria, tamen impediri nequivit,  
 quin Rocchetum, aliâque ipsius vestimen-  
 ta minutim conscinderentur, aut coronæ  
 precatorix, nec non res aliæ corporis eius  
 attactu sacrarentur: fuit ergo tam fre-  
 quens, tamque continuus eo die plebis  
 concursus, ut ad secundam usque noctis  
 horam [ *que juxta nostrum horologium ho-  
 ra sexta est* ] Ecclesia aliter hominibus eva-  
 cuari non potuerit, quam interveniente  
 promissione, ipsis ad videndum, defuncti  
 corpus altero die denuò expositum iri.

## CAPUT XXIV.

### *Alter populi concursus, & Sepul- tura.*

**V**enerando itaque pignore in sarco-  
 phago tunc reposito, quoniam bi-  
 nis diebus subsequenter pia juxtâ ac ho-  
 norata eorum, qui primo illud die non  
 viderant, multitudo comparuit, necesse  
 fuit,

fuit, ut omnibus, quin & toti Civitati satisfieret, sequente Dominicâ denuo spectandum defuncti cadaver proponere: ubi supra erectum pegma repagulis securè fortitèrque munitum corpus hoc insolenti decorum pulchritudine locatum fuit: quod quidem intra capsam inclusum, & jam quatrduanum, adeoque naturæ cursui consentaneè in prominentioribus faciei partibus jam jam putredine inficiendum, veluti in aliis cadaveribus communiter observari solet, ab omni tamen corruptione prorsus immune in ea, quam in feretro compositum intulit, venustate conservatum fuit.

Porro manè non tam citò templi valvæ fuerunt reclusæ, cùm illud totum numeroso populo jam antè in eius area coadunato repletum fuit: unde non sinè gravi incommodo eâ die Sacerdotes ad Aram fecerunt, nam cùm illi, qui Missam audiebant, nec genibus niti, nec firmiter pedibus insistere possent à comprimente multitudine modò in hanc, modò in alteram partem delati: cùmque etiam ob miranda

da quædam, quæ circa feretrum accidebant, non modicus in Ecclesia strepitus excitaretur, se se ipsimet audire nequibant, à tumultu aliorum surdi effecti.

Verùm concursus semper auctior intantum excrevit, ut eius aliis recensendi mihi animus deficiat, nisi fortè alicui tum præsentem, vel qui concurrentem populum Assisii 4.to Nonas Augusti, aut Venetiis in Canonica Charitatis 3.tio Nonas Aprilis spectaverit. Cùm enim templum istud ultra bis mille & quingentas personas non capiat, & semel in illud ingressæ regredi nollent, foris autem adhuc existentes unà cum aliis supervenientibus intrare magnoperè desiderarent, plurimorum judiciò numerus ille universim à viginti quinque usque ad triginta millia ascendebat, quâ hominum copiâ à longissimo retrò tempore major in hac Civitate visa non fuit, nec etiam deinceps nisi simili offerente se occasione videbitur; quæ etiam turba tam conferta eò dignior est admiratione, quò nec nivium copiatum undiq; humum contegentiũ, tamen

fi

si postea hominum equorumque pedibus  
 planè dissipatarum, nec glacies ac frigus  
 tum immodicè sæviens eandem impedi-  
 re potuerint; à ponte nàmque *Pusterla*  
 dicto, ab Ecclesia S. Bartholomæi satis  
 longè distante, platea spatiosissima viris,  
 mulieribus, rhedis integro die in tanto  
 redundabat numero, ut nemo alteri lo-  
 cum cedere potuerit: in templo verò tam  
 densa & coangustata mortalium erat  
 abundantia, ut instar fluxûs ac refluxûs  
 marini mutuò se truderent, non aliter,  
 quam sicui fractæ ad littus undæ retroce-  
 dunt, successuris aliis locum relinquentes:  
 propulsi, qui intus erant, ab illis, qui in-  
 gredi moliebantur, tum portæ viciniores  
 subito quasi, atque inadvertenter, non si-  
 ne singulari animi sensu in templi medio  
 prope septum se stare cernebant, hoc pa-  
 cto id fortuitò obtinentes, quod omni-  
 cum industria, vique adhibita priùs obti-  
 nere nequivissent, & illi, qui primùm non  
 absque jubilo corpori defuncti proximi  
 erant, inde avulsi in uno quasi momen-  
 to prope Aram majorem subsistebant,  
 alii

alii autem ponè eam consistentes retro-  
acti, vix humum contingentes se proxi-  
mos feretro mirabantur: alii verò eodem  
impetu in priorem suam stationem Eccle-  
siæ valvis contiguam rejecti, foras haud  
paucos locum illum occupantes protru-  
serunt non sine periculo, ne miseri equo-  
rum unguis, ac rhedarum rotis subde-  
rentur, vel etiam conculcarentur & lace-  
rarentur, ubi horribiles clamores fuere  
excitati, eò digniores commiseratione,  
quo amplius augebatur discrimen, spēs-  
que humani remedii deficiebat: huic ta-  
men evidenter succollavit Divinum, &  
necessitas ipsa, quæ ceu optima in rebus  
conclamatis consiliorum inventrix, &  
omni exempta lege, absolutâ ad sese ip-  
sam libertate respiciens, in tam conferta  
& fluctuante multitudine, ad declinan-  
dum, quod repagulis vicini subire debe-  
rent, periculum, nonnullas Matronas no-  
biles cautè fecit audaces, quæ ne suffoca-  
rentur, per Claustrum viam arripuerunt,  
quæ autem valvis templi vicinæ erant,  
ne propter comprimentem multitudinem  
equo.

equorū unguis protererentur, néve rotis  
 carpentorum subjicerentur, per alteram  
 Cœmeterii portam in Claustrum penetrá-  
 runt, existimantes se tali ratione omni pe-  
 riculo ac timore eximendas. Circa ipsum  
 porrò septum, ubi Sacerdotes ad omnia,  
 quæ occurrere poterant, incommoda  
 averruncanda stabant, tam conferta tur-  
 ba erat, ut eam considerando aliquis mi-  
 rari deberet; ibi siquidem vota, singultus,  
 suspiria, ibi vociferationes, encomia, ibi  
 non prisca illius ævi, sed Christianorum  
 religiosissimæ nœniæ, cæcorum, claudo-  
 rum, dæmoniacorum, infirmorum, affli-  
 ctorum, supplicum, ipsiusque nomini  
 omnis sexûs, & conditionis devotorum  
 audiebantur, è qua dissonante harmonia,  
 & discordi concentu, nescio, quid suave  
 sonans oriebatur, quo mirabiliter tam  
 confertæ multitudinis devotio cum DEI  
 gloria, nostraque consolatione augeba-  
 tur: plures enim à DEO, cui hunc Famu-  
 lum suum honorare complacuit, insignia  
 tunc beneficia impetrârunt.

Et quoniam initiô populum, erga suum hunc Intercessorem, devotissimum nemo consolari volebat, in hoc, ut corollæ precatoriaræ, résque aliæ ipsius attractu sacra- rentur, per plures adhibitûs non tamen evaginatis gladiis id officii sibi præsta- bant, quod quia prohiberi nequivit, ne majus malum eveniret, ipsimet Sacerdo- tes istam in se curam susceperunt: quare grandissimi tunc fasces coronarum, annu- lorum, camisiarum, sudariolorum, nec non aliorum id genus indumentorum, quibus infirmi tangerentur & vestiren- tur, ipsis porrecti sunt, ut defuncti mani- bus, vultui, totique venerando illi cor- pori apprimerentur: è quibus postea re- bus mirandi Misericordiæ Divinæ effe- ctus prodierunt, cùm plagæ omnem cu- ram respuentes, & gravissimæ infirmita- tes depulsæ fuerint.

Illud tamen visu fuit longè jucundissi- mum, quòd infantes è matrum, & nutri- cum suarum gremio non sine clamore ac lacrymis se se proripere, superque defun- cti corpus ad amplexandum & deoscu-  
lan-

landum jactare voluerint; si tunc tenella illa brachiola conversa in alas fuissent, unico momento corpus istud millenis angelis terrestribus circa id ludentibus cooperatum visum fuisset. Neesse tamen fuit, ut pluribus satisfaceret, qui ad collum defuncti pertingentes, tanta illud teneritudine amplexati & osculati sunt, ut majore erga proprios parentes affici non potuissent, quæ res non parùm stuporis videntibus ingeneravit, quod id naturæ infantium adversaretur, qui ne videre quidem, ne dicam, palpare mortuos sustinent. Sed omnis admiratio cesset, quando Alberti & noster Dominus ex infantium ore suam perfici laudem voluit, si modò tam clementer indulset, ut eorum nonnulli, cum suo Servo puritate cordis infantibus minimè dissimili iidem ipsi ad blandirentur, in præmium pii osculi gravibus morbis liberati fuerint. Sed quid de infantibus memoro, si viri, feminaeque omnis ætatis & conditionis sani juxta & infirmitatibus oppressi ab hac religione abstinere nequiverint? certè necessarium fuit

fui  
den  
vid  
ver  
& E  
bus  
bio  
con  
sola  
eve  
fora  
Ale  
non  
rit,  
Ser  
tia  
chr  
lit.  
fui  
tur  
aut  
ven  
C  
& n  
que

fuit admittere, ut per plures pegma ascenderent, suumque desiderium explerent: videbitur id forte incredibile, est tamen verissimum, cum non pauci è statu Laico & Ecclesiastico, nec non honorum gradibus insignes ab illâ vultus venustate, & labiorum purpura illecti superato septo, consensuque pegmate, eo, quo potuere, solatio frui voluerint. Inde postmodum evenit, ut aliquot post mensibus visâ per fora & compita P. Alberti effigie manû Alexandri Maganzæ pictoris ætate nostrâ non incelebris elaboratâ compertum fuerit, quosdam fuisse conquestos, quasi DEI Servo injuriosum esset, quòd labra rubentia non fuerint expressa, nec in ea pulchritudine, qualem defunctus præ se tulit. Sed isti meminisse debent, Albertum fuisse penicillo effictum adhuc dum vitium squalore, ac macie confectum, non autem primùm post mortem, quando tam venustus, & coloratus apparuit.

Continuavit hæc spiritualis consolatio, & numerosissimus iste populi affluxus usque ad horam quartam pomeridianam,

P

nec

nec defuisset per reliquum, quod supererat, diei, immò forsan nec per noctem, nisi expedire visum fuisset corpus inde atollere, & per plateas deferre: & licet difficile fuerit illud levare, maxima tamen hominum copia funus subsequuta est: ceterum narrari non adeò facilè potest, quot & quinam ad laboraverint humeros venerando oneri supponere: siquidem omnes eorum ex numero esse ambiebant, utpote aliis suâ opinione tantò feliciores, quantò ampliùs hac sarcina gravarentur: denique verò humeri illorum, qui reliquis eminentiores erant, hoc honore gavisi sunt: quod autem humeris assequi non licuit, manibus pertentabatur, in harum etiam defectum succedebat voluntas. Inter alia porrò tunc ex Christiana pietate ac Religione occurrentia, fuit videre non neminem, qui pedibus calceos detraxit, & in locum illorum novos substituit: alios item, qui à robustioribus in altum sublatis forficibus Rochettum, & quidquid poterant, in partes dissecabant, atque id non solùm de vestibus, sed de capillis quo-

quoque, quorum paucissimos secum tumulo inferebat.

Eum ita deferre non adeò diu duravit, & hoc ob ingentem multitudinem hominum ac rhedarum, à quibus ceu vallo quodam plateâ communitâ possibile non erat ulterius progredi. In reditu itaque, quòd Ecclesia magnam partem esset evacuata populo, corpus in Sacristiam non tamen absque labore fuit deportatum oclusâ dein eius januâ. Plebs tamen spectandi finis percupida difficulter inde recessisset, nisi nox admodum frigida, & via longa domum eandem reverti coëgisset. Hinc nos soli absque ullo impedimento cadaver in templo S. Bartholomæi terræ mandavimus: ipsius verò memoriam in nostrorum cordium intimis penetralibus deposuimus, utpote quod piè credamus, illius animam per manus Angelorum in cœlestem gloriam translata fuisse, ad quam & nos aspiramus, unâque speramus, eandem istius eximii DEI famuliprecum interventu consecutos esse, cuius etiam ut participes fiamus, Divinam

Majestatem precamur, cui soli sit gloria  
in sæcula sæculorum.

## CAPUT XXV.

*Elogium Alberti tumulo appo-  
situm.*

**N**E verò tempus, quod in hoc mundo  
omnia consumit, nec non etiam  
memoriam singularissimorum DEI Ami-  
corum extinguit, notitiam istius corporis  
intra illius sarcophagum, in quo fuit po-  
situm, auferret, pro majore posterorum  
securitate ad capitis latus dexterum hanc  
brevem illius vitæ, mortis & sepulturæ  
synopsin adjeci, quam huic quoque Hi-  
storix inserere volui, ut oblatâ quavis oc-  
casione, cùm ea, quæ in sepulchro est,  
conferri possit, estque sequens:

**ALBERTUS DE ALTISSIMIS VICENTINUS:** hone-  
stis parentibus ortus: Canonicus  
Regularis Salvatoris Lateranensis,  
Sancti Augustini: Sacerdos Profes-  
sus

fus. Charitate, Obedientia, Humi-  
litate, Pietate, Patientia, Mansue-  
tudine, Vigilantia, Abſtinentia, Vo-  
torum Obſervantia, Orationis aſſi-  
duitate, cæteris denique Chriſtia-  
nis, ac Religioſis Virtutibus inſi-  
gnis. Die, ſuæ migrationis, præ-  
dicto, inter acerbiffimos, & morbi,  
& mortis cruciatus: orando: pſal-  
lendo: DEUM laudando: adſtan-  
tes hortando: & eorum orationibus  
ſe commendando: magnæ ſancti-  
tatis opinione feliciffimam animam  
ſuo Creatori reddidit. Cuius cor-  
pus, quatruiduo inſepultum, mira-  
bili, Civium, omnium ordinum,  
concurſu, abſciſſis, & ablatis à fre-  
quentiffima, piorum confluentium,  
multitudine, veſtibus, & capillis,  
eius Concanonici (ſi quando DEUS

P 3

in

in Servo suo glorificari dignaretur) hic, tanto Patre orbatu, mæstissimi, spe verò, cœlestis ipsius retributionis, lætabundi posuère.

Anno Salutis M. DC. XVIII,  
V. Cal. Februarii, ætatis  
verò suæ LXXI.

### CAPUT XXVI.

*Corporis Alberti Habitus, tempera-  
mentum, gestuumque con-  
cinnitas.*

**C**eterum ne quidquam huic Historiæ desit, pauca hîc loci de Magni istius Patris corporis habitu, temperamento, ac gestibus memorare volui, in hoc complurium Authorum, qui Vitas aliorum descripserunt, morem imitatus.

Erat ergo Albertus staturâ mediocri, ossium compage fatis firmâ, vix tamen vestita carne, nescio, an à naturâ hoc habuerit, an verò ex nimia per labores, aliâque incommoda extenuatione pro-

venerit, quibus corpus suum à prima ætate macerare solitus erat: sanâ fuit corporis constitutione, at minùs robustâ, quamquam omnibus afflictionibus hæctenus recensitis, quin & majoribus perferendis haud impari: caput habebat mediocris magnitudinis, capillos subnigros, ultimis tamen annis nonnihil incanescens: frons in gyro capillitium versus deficiebat: hanc lineæ rectæ, oblongæ, ac profundæ infederant: oculi aliquantum prominebant, & dextero sinister amplius, sed id ex lapsu comitali habebat ortum, ob quem sinister altero magis læsus fuerat, nævo candido in oculi nigro remanente: dextero tamen oculo acutum cernebat, ut nunquam perspiciliis indiguerit. Facies tota nonnihil in longitudinem, arctitudinemque desinebat, & hoc fortè propter maciem, quam tempora, genæq, excavatæ, uti & mentum deciduum manifestabant: nasum habebat grandem, labia crassa, cum barba admodum rara ejusdem cum capitis capillitio coloris. Ipse vultus color nihil ab eorum hominum

colore diversus erat, qui totos se se DEO  
 consecrârunt, in continuis contemplatio-  
 nibus & pœnitentiis versantes: hincidem  
 plurimum venerationis ac dignitatis præ-  
 ferebat. Verbô, tota Alberti facies pri-  
 mo aspectu S. Caroli Borromæi effigiem  
 repræsentabat, id quod ipsi majorem apud  
 plerôsque venerationem & amorem con-  
 ciliabat.

Temperamentum ipsius ob assiduas  
 macerationes erat corruptum, at quan-  
 tum adverti poterat, illud nonnihil atra-  
 bilis immistum habebat, hinc gravitatem  
 quandam spirabat, & in moribus perquam  
 compositus erat, & deprehendi non po-  
 tuit, quòd à quacunque naturali propen-  
 sione ad rem minus rationi consonam,  
 minusve justam, immò qualemcumque  
 hujus mundi, quæ non esset ordinata ad  
 DEUM, pertraheretur: ad hæc internâ,  
 & occulta quadam vi animos aliorum at-  
 trahebat, ut etiam ab omni istius mundi  
 Criticorum censurâ, in quorum tribuna-  
 libus innocentia cum vitio pari passu gra-  
 diens, parem etiam condemnationis sen-  
 ten-

tentiam subire cogitur, planè immunis  
esset, uti supra Cap. 15. Libri 2. vidimus,  
ubi hoc eius singulare Privilegium per-  
strinximus.

Gestibus erat compositissimis excluso  
omni inconcinno corporis motu: ince-  
debat passu lento, & semper æquali: si  
rideret, os aliquantum inflectebat, sed  
non sine gratia & suavitate: at nunquam  
extra rhombum, utpote à quacunque va-  
nitate alienissimus: si quem aspiciebat,  
eundem facie serena, & amœna lætifica-  
bat: eius in loquendo tarditatem, nescio,  
an causæ naturali adscribam, vel, quòd  
omnia verba ad trutinam revocaret, ne  
quidquam superflui, vel minùs considera-  
tè elaberetur, quippe quòd *Temeritas* ma-  
ter fit facundiæ vanæ, & sæpè sæpiùs ex-  
tra rationis orbitam exerrantis. Nihilo-  
minus iis in rebus, quæ DEI honorem  
tangebant, magna cum emphasi linguam  
laxabat, & in eiusmodi argumenta tanto-  
perè se se immergebat, ut frequenter in  
singulares de DEO sensus non sine au-  
dientium stupore abriperetur. In extre-  
mam

mam ætatem delapsus incurvescebat, quòd assiduè genibus innixus absque ullo fulcro precibus instaret, & perenni maccratione, vigiliisque nunquam intermissis corpus affligeret: interim senio gravatus, senem se minimè demonstrabat. Ut verbo absolvam omnia, noster Albertus, hominem sive internum, sive externum spectemus, viva effigies, clarissimùmque Magni & Eximii DEI Servi *Speculum & Exemplar* erat.

\* \* \*

*Libri secundi Finis.*

IN-



# INDEX.

## LIBER PRIMUS.

- CAPUT I. *Alberti Natales, & Infantia.* 1  
CAP. II. *Epilepsia corripitur.* 7  
CAP. III. *Voto Religiosam amplectendi vitam se obstringit.* 16  
CAP. IV. *Ad Vitam Religiosam ineundam se comparat.* 21  
CAP. V. *Habitus Canoniconum Regularium Congregationis Lateranensis assumit.* 30  
CAP. VI. *Religiosum Alberti Tirocinium.* 39  
CAP. VII. *Tentatur Albertus, ut Religiosa Vita nuntium remittat.* 51  
CAP. VIII. *Ad servanda Vota solemnia se disponit.* 59  
CAP. IX. *Dæmon Albertum visibili formâ aggreditur.* 65  
CAP. X. *Ad pulsandum Organum in Ecclesia S. Bartholomæi destinatur.* 68  
CAP. XI. *Albertus Sacerdotiô initiatus qualem ad Sacrum peragendum adhibi-*

I N D E X.

- hibuerit preparationem, & quibus  
devotione illud celebravit.* 70
- CAP. XII. *Albertus Voto Paupertatis, & Vi-  
tae communi impense studet.* 76
- CAP. XIII. *Alberti Charitas erga Paupe-  
res.* 78
- CAP. XIV. *Circumstantia stipis cuidam pau-  
peri erogata.* 84
- CAP. XV. *Ministrat Infirmis, eosque solu-  
tur.* 89
- CAP. XVI. *Exercet Hospitalitatem.* 74
- CAP. XVII. *Nonnulla alia Alberti Charita-  
tis corporalis, & spiritualis Exer-  
citia.* 98

LIBER II.

- CAP. I. *Albertus Magister Tironibus profi-  
citur.* 101
- CAP. II. *Fit Custos Sacrarum.* 105
- CAP. III. *Albertus parvulos docet.* 108
- CAP. IV. *Feminarum consuetudinem ab-  
horret.* 111
- CAP. V. *Albertus nunquam è Monasterio  
egreditur.* 114
- CAP. VI.

INDEX.

CAP. VI.	<i>Alberti orandi modus, ejusque Ex- tases.</i>	120
CAP. VII.	<i>Colloquium inter duos eximios DEI Servos.</i>	125
CAP. VIII.	<i>Casus quidam in hoc de extasi proposito.</i>	130
CAP. IX.	<i>Demon in Angelum lucis trans- formatus Alberto apparet.</i>	133
CAP. X.	<i>De Alberti Jejuniis.</i>	138
CAP. XI.	<i>Injurias perfert.</i>	143
CAP. XII.	<i>Alberti desiderium moriendi.</i>	149
CAP. XIII.	<i>In quanta fuerit existimatio- ne.</i>	151
CAP. XIV.	<i>Alberti aptitudo, atque simpli- citas cum adjunctis quibusdam particularibus.</i>	156
CAP. XV.	<i>Gratia ac Privilegium Alberti singulare.</i>	168
CAP. XVI.	<i>Albertus multorum Afflictorum perfugium.</i>	173
CAP. XVII.	<i>Orat pro Infirmis.</i>	177
CAP. XVIII.	<i>Orat pro afflictis, ac mærore oppressis.</i>	181
CAP. XIX.	<i>Orat pro suâ Canonicâ.</i>	191
	CAP. XX.	

I N D E X.

- CAP. XX. *Albertus morbo corripitur, solum  
que prædicit obitum.* 193
- CAP. XXI. *Gravissimos dolores patitur.* 197
- CAP. XXII. *SS. Sacramentis providetur,  
cum morte luctatur, ac demum  
moritur.* 203
- CAP. XXIII. *Primus ad Exequias concur-  
sus.* 211
- CAP. XXIV. *Alter populi concursus, & se-  
pultura.* 217
- CAP. XXV. *Elogium Alberti tumulo appo-  
situm.* 228
- CAP. XXVI. *Corporis Alberti Habitus, tem-  
peramentum, gestuumque con-  
cinnitas.* 230

F I N I S.

*Collegii Socii Jesu paderborna*




Sum.  
193  
197  
etur,  
mun  
203  
cur.  
212  
se.  
217  
appo  
228  
tem.  
con.  
230

III  
4




III  
45






RII  
46



III  
4





RII  
4k



III  
46







Th  
2479